

Anagram of 1731 in title

MEDICINA AVSTRO-VIENNENSIS VERSICE EXPOSITA,


SIVE

REGULÆ DIÆTÆTICO-PRO-PHYLACTICO-EUPORISTÆ,

Non solùm sanitati conservandæ, morbis imminentibus avertendis, & præsentibus per remedia obvia curandis, sed & honestis eruditorum discursibus omninò idoneæ, & tam Medicis, quàm aliis eruditione conspicuis, utilitate æquè, ac jucunditate commendabiles.

Compositæ & collectæ à

FRANCISCO ADOLPHO HABERSACK,
Philosophiæ & Medicinæ Doctore.



Viennæ Austriæ, typis Gregorii Kurtzböck, Universitatis Typographi. 1731.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY





Author Lectori.

TAnta jam olim gentibus barbaris æquè, ac Cultioribus extitit ſanitatis æſtimatio, ut eam theſauris omnibus priorem: Suaviſſimum vitæ condimentum: alteram terrenæ felicitatis partem: aut planè beatitudinis humanæ apicem, & ſummum bonum exiſtimârint; imò gentili cœcitate divinis proſequendam honoribus expoſuerint. Nec mirandum, ſi humano generi tantò indiès fiat deſiderabilior, quantò, tam ob ſucceſſivam fomitum vitæ noſtræ corruptionem, quàm ob laxatam in omnigenas Diætæ exorbitantias indulgentiam notabiliter evadit rarior. Quare non il-

laudabile visum est nostris majoribus ad evitandos tot offendendæ sanitatis scopulos, quædam erigere signacula, seu rerum salubrium, & insalubrium regulas, quarum directione quisque, declinatis extremorum vitiis, mediô tutissimus incedere valeat. Floruit, & floret etiamnum hoc laudis genere, tam antiquitate, & Mœcenatis Celsitudine celebris, quàm doctrinæ generis jucunditate amabilis SCHOLA SALERNITANA, ità quidem, ut vix ulla celebrentur convivia, in quibus non (præsertim postquam Hippocrenes instar fœcundi calices linguam fecêre disertam) ex Rhytmis Salernitanis speciosa quædam velut obsonia depromantur. Hoc cùm à primordio studiorum meorum ad nauseam ferè observaverim, absolutô studiô

Me-

Medicô Gradum Doctoralem adeptus, dictos verſus, conſultis Authorum ſcriptis, paulò accuratiùs examinavi: & inveni quosdam omninò retentu dignos, quosdam ſibi invicem contradicentes, ùt ex collatione Cap. XXVI. & XLV. *de muſto* patet. Alios nonnihil obſcuros, ùt *unica nux prodeſt, nocet altera, tertia mors eſt*, exiſtere; & tandem euporiſta morborum præſentium remedia ferè (cùm nonnisì pauciſſima, eáque hyperbolica Botanicorum laude inſignita notentur) deſiderari. Quapropter non inutile fore concluſi aſſumptis ex ſchola Salernitana utilibus, reſectis reſecandis, mutatis mutandis, opuſculum doctrinæ avidis conciñare Diætætico-prophylactico-euporiſton, quod & eruditis diſcurſibus, & conſervandæ per debitum ſex rerum

non naturalium uſum Sanitati, & eidem per remedia obvia, domeſtica, & facilè parabilia reparandæ inſerviat, adeóque utile dulci amicabili nexu commiſceat. Quod dum ego impræſentiarum pro viribus, & horarum ſubſecivarum anguſtiâ tentavi, duplici ſchemate deſcriptionem hanc metro-medicam aggreſſus ſum, prout nempe unum huic, alterum alteri materiæ convenientius eſſe duxi. Excerptos autem ex aliis Authoribus verſus diſtincto charactere exprimi curavi, nè alienas plumas in meos contendere volatus videar, & hinc ab uno vel altero illô Virgilii culpari merear: *hos ego verſiculos feci, tulit alter honores*. Excuſabit benevolus Lector, ſi hinc indè minorem quantitatum accurationem adverterit, idque eò faciliùs, ubi perpenderit,

rit, ipſos Authores claſſicos in determinandis primarum ſyllabarum quantitatibus non usquequaque convenire; ſi metricam neceſſitatem penſitaverit: & deniquè ſi ſensûs claritatem verſuum perfectioni tantò præhabendam eſſe mecum concluſerit, quantò errorem metricum errore medico ex obſcuritate ſensûs forſitan emerſurô, conſtat eſſe minorem. Supereſt, ut benevolus Lector hoc meum qualecunque conamen boni conſulat; Zoylis enim ſubſequens ſomnium, ùt reor, abundè ſatisfaciet.



Somnium Medicum.

PArcite! non ſemper me judice ſomnia fallunt,
Parcite, ſi tolerata recèns inſomnia narrem:
Nuper ùt à ſtudiis nimiùm defeſſa quievit
Mens mea, quosquè fuit perpeſſa, laboribus impar
Otia conceſſit, ſomnus mox languida preſſit
Lumina, mox jacuêre mei ſinè ſenſibus artus.
Mens tamen invitas patitur per ſomnia curas.
Nec redeunt ſolùm curſu meditata diurno
Vota; ſed ignotas videt in phantasmate formas:
Mons erat excelſus, duplicique cacumine tangens
Æthera (Parnaſſum nominat gens incola) nullus
Hic ſtrepitat Caurus, doctæve ſilentia gentis
Rumpit; fons vitreo nitidus Torrente ſuperbit
Dura Meduſæi, quem præpetis ungula rupit,
Undè novem Dominæ, Vatésquè bibiſſe feruntur:
Nil ſacrata tamen Phœbi domicilia turbat
In ſolio reſidet Muſis comitatus Apollo,
Septémque inveniunt artes, quas liberiores
Jure vocant merito; ſed adhuc ibi Virgo modeſta
Muſas inter erat: cujus per tempora laurus,
Cujus ſub pedibus flores herbæque virebant,
Ad dextram ratio, lævam experientia ſtabat.
Hæc Medicina fuit, quacum ſynceriùs omnes
Con-

Consiliis subière vices; cui quæque spopondit
Musa operam conferre suam, non nescia quantum
Conferat in doctis bona concordantia rebus.
Vix mutuas junxêre manus, & vota puellæ,
Inferiore solô montem jam murmura scandunt,
Parnossóque cohors struit insultare gigantum,
Confremuêre omnes opprobria dira loquentes;
Nullum, ajunt, hoc monte locum Medicina meretur,
Indigna est, Musas inter remoretur & artes!
Clamor ubi sacram penetravit Apollinis arcem
Hæc ulciscar, ait, si sum de stirpe Tonantis,
Probra, & Mercurium subitò descendere jussit
Exploraturum, qua sint de gente gigantes?
Audit, & exequitur missus mandata jubentis,
Delapsúsque rogat, tanti quæ causa tumultûs?
Cur sacra Parnassi violet gens impia? Primus
Mercurio, furibunda loquens, *Idiota* reponit:
Quid Medicina sibi Musas vult inter, & artes?
Quid cum *Grammatica*, nam si natura medetur
Omnibus, & casus, quid prodest lectio libri?
Quid confert studium? Sed ad hæc caducifer inquit:
Est natura parens Medicis adjuta; noverca
Sæpè relicta sibi est. Casus dominatur in omnes,
Hosque regit Medicus, si polleat arte; sed istam
Assequitur studiô, & vigili conamine libros
Evolvendo: secùs tibi par Idiota maneret.
Non *Idololatræ* tulit impatientia plures
Mercurii voces: quid confert, inquit, ad usus
Rhetorice Medicos? Nobis Divina potestas
Absq; loquendo data est. Idolum tangere nostrum

Quem finimus, morbis subitò curatur. At isti
Talia Mercurius pacatâ voce reponit:
Non tentate Deos vestros; nam nunquid in herbas
Verbáque, vel lapides vanum fudêre juvamen?
Est DEUS in plantis, sunt & commercia Cœli
Sedibus æthereis Medicamina dantur; at istis
Æger ut utatur, fugiátque nociva saluti,
Rhetorice juvat, & penetrantia flumina suadæ,
Herbis, & verbis Medicorum est tollere morbos,
Si jungas lapides, tribus his est maxima virtus.
Mox Panacæarum plenas *Empiricus* offert
Chymicus ampullas, Medicæ Dialectica prorsus
Nullius est usûs, ait, hæc Panaçæa medelam
Omnibus una feret: quid jam discrimina causæ
Morborúmque juvat ratione inquirere multa?
Sed legatus ad hæc breviter: Quid inania jactas,
Inquit? non morbus, natura nec omnibus una est,
Nec causa una mali, jam quî medicina juvabit
Una omnes? variet cum circumstantia casum:
Felix qui potuit rerum cognoscere causas,
Ille metus omnes, & inexorabile fatum
Subjiciet pedibus. Sed vos ad inania ducit
Auri sacra fames, & eâdem fallitis ægros.
At quod *Arithmeticen* inter Medicámque ligamen
Sit rogat Hebræus? lustrandis optima nummis
Illa est (vile genus, quod non curando salutem
Nummorum retinax vitam postponit iisdem)
Sed breve responsum sequitur quæsita: dierum,
Horarúmque solent numerum servare febriles
Circuitus; criticósquè dies opus est numerare
medenti.
Porrò *Geometricam* servire Machaonis arti

In-

Inficiatur *Atheûs*, fieríque, ait, omnia caſu;
Aſt ità Mercurius ſtulti commenta refellit:
Omnia ſunt numerô, menſurâ, & pondere facta,
Eſt ſuus elater, ſtructura, extenſio, motus
Corporibus, quæ nôſſe juvat, poſitúsque locorum,
Clima, & Temperies cœli, cui ſubjacet æger,
Namque & morborum ſunt hæc, & cauſa ſalutis.
Ad Medicam tandem quid poſſit *Muſica* quærit
Helluo? nec mirum, contraria quippe ſaluti
Muſica præſtat ei, qua noctibus, atque diebus
Utitur in ſaltus; nec cum moderamine Baccho
Pocula plena litat: medicamine, & ordine ſpreto
Corporis, ac animi laxat malè cautus habenas.
Aſt ubi commotos componit Muſica fluctus,
Tunc medicamen agit, mentésque, & corpora curat?
Sic Aſclepiades phrenicum, ſic mente Saulem
Motum curavit citharæ modulamine David.
Ipſe ego quod nemini, quondam Caducifer addit,
Centoculo ſomnos Argo mea fiſtula fecit,
Quæ virtus certò Medica eſt? Poſt omnia tandem
Garrula ſurgit *Anus*, quæ nobilis *Aſtronomiæ*
In Medica dubios contendit reddere fructus,
Eſt, ait, unguentum, cui ſi ceremonia certa
Jungitur, & certi ſub certo tempore ritus,
Hôc ego cum ſocia turba volitare per auras
Nullius Aſtrorum concursûs indiga poſſum,
Hôc ego, quot cupio, morbos infligere novi,
Et curare. Sed hic tacuit ridendo Deorum
Nuntius; & longas, muliebria cantica, lites
Evitare ſtudens, reliquis hæc paucula dixit:
Aſtra dies ſtatuunt, menſes, & tempora, & annos,

Qui-

Quique agit in corpus noſtrum, circumfluus aër.
Motibus aſtrorum variis variatur: & anni
Quos climactericos dicunt, omníſque malorum
Pendet ab his criſis; at Medicos hæc nôſſe necesse eſt:
Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primùm,
Inque domos ſuperas, annixa eſt ſcandere cura!
Nuncius hiſce redit, perceptáque narrat, Apollo
Fert ità Judicium: non ſunt de gente gigantum
Verùm artes odîſſe ſolent hi liberiores.
Hæc delata Jovi juſtum movêre furorem
Digna ferent, inquit, vitiis, & fulmina ſeptem
Vibrat in oſores: Medicinam Aſtræa coronet
Mandat; eíque locum Muſas adjudicat inter
Perpetuum. Sed ubi reſerato lumine ſomnô
Experrectus eram, non vana hæc ſomnia duxi,
Sed facies veri: quippe experientia dictat.
Quod ſpernat Medicos, Idiota, Idolo-Sacrator
Hiſtrio, Judæus, non Credulus, Helluo, Saga.
His ubi detecta eſt inimicis Larva, docemur,
Cur artûm Medici Doctores liberiorum,
Et Philoſophiæ, ac Medicinæ Jure vocentur?
Atque ubi de Sectis felix Medicina triumphat,
Hujus ego ſpecimen tibi, Lector amice, videndum
Porrigo, cúmque duplex reparare, & ſalva tueri
Sit labor: in binas partes concepta ſecabo;
Prima diætæticos uſus, legésque docebit,
Altera queîs valeas præſentes tollere morbos.

CAPUT



Caput I.
Præliminaria & Generalia Diætæ.

LEctor ave! Lectórque vale! Medicina precatur
  Austro-Viennensis, sicque valere docet.
Principium vitæ sani tibi sunto Parentes,
  Ne secùs & mortis sint rudimenta tuæ;
Nam velut in ramos fluit à radicibus humor,
  Cum Patris in natos semine morbus abit.
Hinc ubi morborum Patris hæres esse vereris,
  Obvia læsuris pharmaca sume malis!
Sint ætate sua vegeti: quid namque senectus
  Roboris infanti, quô caret ipsa, dabit?
Sint alacres animô, nam fortes mente creantur
  Fortibus, & proles vergit in acta patris.
Non simul atque litent Veneri, madeántque Lyæô,
  Nam fatuos Bacchô procreat uda Venus.
Tum Venerem vitent, mulier cùm menstrua fundit,
  Dúmque novas patitur pallida luna phases,
Fortè satos plures morbus Lunaticus angit,
  Luna, quod influxum sub generando dedit.
Quot luit excessus matris genitura gerentis,
  Heû quoties fœtus vix animatus obit!

Hinc

Hinc ſervet ſtrenuè prægnans præcepta Diætæ
Præ reliquis, uterus nè moveatur, agat!
Sit virtutis amans, animique pathemata vitet,
Exulet ira, timor, terror, ineptus amor.
Quot rerum, prægnans quas concupiebat inane,
Stigmata progeniem non abitura notant!
Supplicium non ſit ſtudioſa videre reorum,
Imprimit hoc proli ſæpe dolenda ſuæ.
Non reſeret venam, nimiô nisi ſanguine turgens,
Nam ſecùs infanti ſubtrahit illa cibum.
Commoveat modicè, nè frangant otia, corpus,
Brachia nè tendat, dimoveátve pedes.
Sternutare nocet, tuſſire, & pondo levare,
Arctiùs & zonâ cingere corpus obeſt.
Quæ renes, ſtomachúmque movent, nè ſumat, & alvum
Aut individuæ non toleranda craſi.
Nè cumulata recèns natum meconia fœdent,
Evehat hæc oleum, caſſia, mella, ſyrop.
Nam ſecùs ex illa qua primò naſcitur hora
Prorepunt juncto vitáque, mórsque pede.
Sit dulci, & tenero contenta puerpera victu,
Lochia procedant juſta, vapórque cutis.
Frigora devitet, tranquilláque mente quieſcat,
Tractetur velutì ſaucia quæque ſolet.
Non nìmiùm pinguem, vel macram quære nutricem,
Eſt potior, corpus quæ mediocre tenet.
Sit corpus, mentémque valens, nam ſugit alumnus
Altricis mores, ingeniúmque ſuæ.
Non acidum, ſalſum, nec amarum, at dulce propinet
Lac genito; Lacti candidus eſto color!

Pondere ſit juſtum, nec aquoſum, aut craſſius æquô,
  Hoc replet nimiùm, non ſatis iſtud alit.
Pingue quidem cupiet, cùm plùs adoleverit infans,
  Aſt magè dilutum nunc neo-natus amat.
Nam variant vires, tractari molliùs ætas
  Imbecilla petit, pluráque adulta feret.
Viſcida nè cum lacte dato pulmenta tenello
  Sed ſenſim ad tenues transgrediare cibos.
Frigida ſint procul, & terror, ſed balnea crebrò
  Spiratum cutis, & frictio blanda juvent.
Dulcia nè comedant pueri, nè ſemen, & eſcam
  Vermibus accumulent, queîs aliunde ſcatent.
Exultat levitate puer, gravitate ſenectus,
  Inter utrumque manens ſtat juvenile decus;
Dum viget hæc ætas generoſos indue mores,
  Nam vigor ingeniis artibus aptus ineſt.
Diſce bonas artes, moneo, generoſa Juventus,
  Ingenii dotes corporis adde bonis.
Nam ſimul ingenium placida mollitur ab arte,
  Et ſtudio mores convenienter eunt.
Cætera dum fugient, nihil immortále tenebis
  Pectoris Exceptis, ingeniique bonis.
Otia pigra cave, ſiquidem Juvenilibus annis
  Luxuriant animi, nî labor hósce premat.
Fertilis aſſiduô ſi non moveatur aratrô,
  Nîl nisì cum ſpinis gramen habebit ager.
Adde quod ingenium longa rubigine læſum
  Torpet, & eſt ipsô, quod fuit antè, minus,
Non tamen excedas motu, ſecùs adjicis igni
  Sulphur, ubi ſummus corpora motus agit,

Si

Si modò plantâris virtutem, crimina, morbos
Fœnore multiplici curva ſenecta metet.
Excipit hanc *Ætas*, virtutis imago, *Virilis*,
Vir, virtute nitens, nomen & omen habet.
Corporis ac animi motus hæc temperet ætas,
Non violet mœror, faſtus, & ira virum.
Quando ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata; ſeu quas habet, alba comis.
Tunc excernendas cura de corpore ſordes,
Nè flamam vitæ fæx cumulata premat.
Frigus obęſt ſenibus, calor at moderatus iisdem,
Frictio membrorum, motio blanda favet.
Vim cordis recreet ſeu mulſum ſive phalernum,
Quippe licet vinum lac nominare ſenum,
Et quia transigitur fermè morboſa ſenectus
Strictior, ac ſanis, eſto Diæta Seni,
Sicut queîs teneram texit natura ſalutem
Non ea quæ vegetis, norma geranda quadrat.
At quicunque valens proprio moderamine vivis
Mancipium medicis legibus eſſe nega.
Firma valent per ſe, nullúmque Machaona quærunt,
Ad Medicam dubius confugit æger opem.
Ut tua vita tamen rationi congrua fiat,
Paucula, quæ referam, dogmata ſcire juvat:
Quæ prodeſſe notas, age, quæque nocere caveto,
Sic fies Medicus corporis ipſe tui.
Certiùs hoc ſperare potes, ſi noveris antè
Corporis ingenium, temperiémque tui.
Si varium ſexum, vim conſuetudinis, anni
Tempora cum patrio noveris antè ſolo.

 Quippe

Quippe datur quadruplex trito complexio ſenſu,
Hinc diſtincta tibi ſigna notáſque dabo:
Aëra prima refert: eſt humida quippe caléнsque;
Sanguinea à multo ſanguine nomen habet:
Cor datur huic magnum, venæque cruore tumentes,
Hinc pulſus plenus, vi moderatus adeſt.
Sanguis adeſt dulcis, nullóque moleſtus acore;
Hinc placidô ſomnô membra ſopita jacent.
Bruneſcunt crines, facies, & labra rubeſcunt,
Eſt habitus mollis, nam caro multa ſubeſt.
Mobilis eſt animus, largus tamen atque benignus;
Ingenium verbis, Gratia rebus ineſt.
Non turbant hilarem repetita negotia mentem.
Transigit incolumes absque timore dies.
Somnia lætitias referunt, rubróſque colores,
Arrident epulæ, Muſica, vina, Venus.
Pharmaca ſanguineos calida & purgantia lædunt.
Blandior at motus, phlebotomia juvant.
Ignea temperies, ſeu fervido-ſicca ſecunda eſt,
Noménque à cholera prædominante capit.
Hic tenuis cruor eſt, ampli, tenſíque canales;
Hinc oritur pulſus fortior, atque celer.
Sunt rubei crines, cutis aſpera, flava maceſcens,
Nauſea, vel vomitus, oris amaror adeſt.
Eſt brevior ſomnus, rixas, flammáſque, volatus
Somnia præſentant, membráque robur habent.
Ingenium felix, ſed par prudentia non eſt,
Quælibet eſt præceps actio, lingua loquax.
Eſt audax animus, magnus, venator honoris,
Fallax, iratus, prodigus, alta petens.

His nocet exceſſus motûs, ſimul atque caloris,
Sed tamarindus iis proderit, atque nitrum.
Friget, & humeſcit complexio tertia: nomen
Phlegmaticæ geſtans; & ſimilatur aquæ.
Cor huic anguſtum, venæ laxæ, atque minores,
Humores multa viſciditate ſcatent.
Debilis hinc pulſus, tardus, ſomnúsque profundus
Redditur, & quævis actio tarda fluit.
Frigidus eſt habitus, mollis, gravis, albus, obeſus,
Rectus & albeſcens vertice crinis adeſt.
Viſcoſæ pariunt faſtidia crebra ſaliva,
Præfocaturas ſomnus adumbrat aquas.
Eſt bonus, at piger his animus, fugiénsque laboris,
Jungitur ingenium debile, ſenſus hebes.
Frigore læduntur, reparantur aromate, vinô.
Propria laxandis hicce Jalappa datur.
Sicca *Melancholica*, & frigens complexio paſſim
Dicitur, & terram moribus iſta refert.
Strictius hic cor eſt, anguſtáque vaſa, cruórque
Spiſſus, & auſterus, fibráque dura magis.
Parvus, inæqualis pulſus, licèt absque periclo
Tardos, robuſtos, nigricomósque facit.
Hi ructant acidum, ſputant, nigra ſomnia ſomnum
Turbant; quippe vident funera, ſpectra, ſtyges.
Invigilant ſtudiis, nulli ſua ſenſa revelant,
Plurima mente ſua, pauca loquenda gerunt.
Tardius ingenium conſtans ſolertia ſupplet;
Conſtantes cœpto quippe labore manent.
Eſt animus triſtis, timidus, cunctânsque timore,
Et meditabundus, vivere ſolus amans.

In-

Invidus & fallax, & avarus: tardus ad iram,
  Tardè placandus; ſuſpicione frequens,
Hos jura humectent: Laxet magneſia nitri,
  Vel mineralis aquæ potio; ſicca nocent.
Hinc de compoſita facilem formare licebit
  Temperie ſenſum, quid ſpeciale velit?
Nunc tibi diverſas anni per tempora leges
  Tradam, quæ multis ſunt variata modis.
Semina Vere tument Autumnô credita terræ,
  Inque ſuis turgent condita vina cadis.
Quæque diu latuit nunc quà ſe tollat in altum
  Fertilis occultas invenit herba vias.
Omnia tunc florent, tunc eſt nova temporis ætas,
  Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modò formatis operitur frondibus arbor,
  Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum,
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
  Ludit & in pratis, luxuriátque pecus.
Tunc blandi ſoles, ignotáque prodit hirundo,
  Et luteum celſa ſub trabe figit opus.
Turget in humano contentus corpore ſuccus,
  Unde juvat quavis evacuare viâ.
Tunc quoque cum leni proſunt jejunia motu,
  At vinum, nimius motus, & eſus obeſt.
Cúmque ſit introitu Veris variabilis aura,
  Hanc nè fortè luant corpora, veſte cave!
Sed calor Æſtatis ſuccos movet, humida difflat,
  Imminuit vires corporis, atque famem.
Hinc juvat hauſtus aquæ cum citro, emulſio, victus
  Humidus, & requies, balnea dulcis aquæ.

At nocet in victu repletio, motus, & ira,
  Quodlibet evacuans forte, & aroma, merum.
Sæpè ſub Autumno, cùm formoſiſſimus annus,
  Plenáque purpureô ſubrubet uva merô.
Cùm modò frigoribus premimur, modò ſolvimur æſtu,
  Aëre non certô corpora languor habet.
Nè tempeſtatum tangat variatio corpus,
  Aëreas calida veſte repelle vices.
Indulgere cibis modicùm licet, atque phalerno,
  Sed cave, nè fructus immoderatus edas!
Corporis ad motum tempus tibi ſume ſerenum,
  Nec ſuccos nimios evacuare nocet.
Extùs friget Hyems, calefacta cubilia torrent,
  Non facilè extremas háſce ſubito vices.
Frigida nè comedas, ſudorem haud elice motu,
  Corpus ab externo frigore pelle tegas.
Tum ſatiare cibis calidis, & aromate mixtis;
  Manè Theas: inter fercula ſume mera.
Si fors plura tibi ſuper hæc audire placeret,
  Dogmata pro quovis Menſe Poëta canit.
Menſis amat *Jani* tepido decurrere victu,
  Et refici grato ſæpè liquore jubet.
Vena tibi nullos exudet ſecta cruores,
  Nec calidâ fas eſt mergere corpus aquâ.
Februus odit olus, volucres, piſcésque paluſtres,
  Forſan inertifica de febre nomen habens.
Pharmaca non ſuffert tenui nisì lotia potu
  Ducere. Tum Bacchi ſacra nocere ſolent.
Martius humores & terræ, & corporis auget,
  Tunc ratio puri magna tenenda cibi.
Paucula ſufficiunt acido condita ſapore,
  Cautiùs humores tunc vacuare decet.

Aprilis

Aprilis revocat Lentum post longa teporem
 Frigora, fit tenuis, pérque forata cutis.
Omnia tunc sunt aucta magìs, sunt omnia plena;
 Solvere se venter, vena secare jubet.
Majô cuncta virent, est formosissimus annus,
 Jámque sibi cuncti molliùs esse volunt.
Balnea jam subeas, sit pharmaca sumere cura;
 Et tibi jam missô sanguine vena fluat.
Junius & gaudet gelidis, & pascitur herbis,
 Viribus infirmis tunc inimica fuge,
Gaudia tunc mentem recreent, & blanda voluptas,
 Affligat corpus nulla medela tuum.
Aëris ignifluos intendit *Julius* æstus,
 Hinc brevior somni tempore facta quies.
Balnea tunc brevia: venam cave tangere ferrô;
 Nec Dominæ petulans accubuisse velis.
Non minùs *Augustus* somnum restringit, & escas,
 Et Veneris cupidos gaudia ferre vetat.
Pharmaca nemo bibat, laceret neque corpora ferrô,
 Nec gelidas inter delicietur aquas.
Poma dat & gratos *September* ab arbore fructus,
 Tunc etiam presso pascere lacte capræ.
Pharmaca nîl prohibet tunc sumere, scindere venam,
 Nec tuus addendum vitet aroma cibus.
Sistitur *Octobri* venatio, vina, volucres,
 Utere, sed dubites non tenuisse modum;
Nam si fors oneres nimio præcordia victu,
 Post extrema tibi gaudia luctus erit.

Eſſe ſalutaris perhibetur mulſa *Novembri*,
  Zingiber, & gratô pocula plena merô.
Tum neque membra laves, Veneris neque ſacra frequentes,
  Ante ſenex tempus nè videare ſenex.
Juxta Menſe focum calidis utâre *Decembri*,
  Tunc jaceant menſis gramina nulla tuis.
Denſa cæſarie defende à frigore calvam,
  Fragret aromatico plenus odore calix.
An *climactericis* vis ſit ſpecialis in *annis*
  Hactenùs ambigui diſſeruêre Sophi.
Eſt equidem verum ſeptenô quôlibet annô
  Plurima mutari, ceû metra nota ferunt.
Infans ſeptenos poſtquam compleverit annos,
  Candida productis dentibus ora nitent. (7)
Pòſt ſi ſeptem alios Deus huic conceſſerit annos,
  Fit pubes nato ſemine nomen habens. (14)
Eſt juvenis, cùm ſeptem alios compleverit annos,
  Et lanugo genas, barbáque prima tegit. (21)
Adjicias alios ſeptem volet eſſe maritus,
  Et memor antiquæ poſteritatis erit. (28)
His addas ſeptem, virtutis nomine clarus
  Eſt Vir, & hæc ætas optima robur habet. (35)
His alios ſeptem jungas, prudentia pectus
  Ornabit : Studium non levitatis erit. (42)
Annumeres ſeptem, gravitas manet inclyta linguam,
  Verbáque Judicii non leve pondus habent. (39)
Adjungas ſeptem caneſcens vertice crinis
  Pondo addit verbis, conſiliisque datis. (56)
Addatur nonus quoque ſeptenarius iſtis,
  Labaſcunt vires, interitúmque timent. (63)

Acce-

Accedant alii ſeptem : mors dura vocabit
  Ad tumulum feſſos, decrepitóſque Senes. (70)
Scilicet his annis multi periêre virorum,
  Quorum laus celebris Marte, togáque fuit.
Annos annumerant alii quoscunque novenos,
  Non tamen hoc ullâ ſat ratione probant.
Peſſimus hinc poſt ter vicenos tertius audit,
  Quem *ſeptem* atque *novem* multiplicare queunt.
(63)
De climactericis annis quod ſentio dicam :
  Nîl eſt, quod metuas his ſpeciale, reor.
Nam neque Syderibus jus eſt ſpeciale nocendi,
  Si quid agunt, ſolùm ùt cauſa remota patrant.
Dependet Sapiens à Numine, Stultus ab aſtris,
  Iſte creaturam reſpicit, ille DEUM.
Nec vis eſt numero; nec ineſt ſecùs ulla poteſtas,
  Hinc nihil his annis, credo, timoris ineſt.
Sobrius interea ſemper, tibi conſulo, vivas,
  Hujus enim nunquam pœnituiſſe poteſt.
Sperne voluptatem, nocet empta dolore voluptas,
  Et quò plus mellis, plus quoque fellis habet.
Non levis utrumvis tangit diſtinctio *Sexum*,
  Hinc varius vitæ ſpectat utrumque modus.
Mollior, & pigrior mare fœmina ſemper habetur,
  Hinc quoque tractari molliùs iſta petit.
Vir reparat motu reliquæ delicta diætæ
  Fœmina pigritie deteriora facit.
Reſpiciat ſemper mulier capiendo diætam
  An geſtet ? lactet ? menſtrua ritè fluant ?
Quod *patriam* ſpectat: præter nutrimen, & undam
  Viribus hanc variat ventus, & aura ſuis.

Tutiùs eſt habitare locum, qui reſpicit Eurum,
Vel Boream, Zephyrum, quàm quibus Auſter adeſt.
Tutiùs eſt in monte domum, quàm valle parare,
Creditur & pagus ſanior urbe locus.
Eſt tamen aſſumptâ nîl *conſuetudine* majus,
Cujus nec ratio prætereunda manet.
A teneris aſſueſce graves tolerare labores,
Nam nocet aſſuetis omnia ferre nihil.
Et conſueta diu, quamvis ſint deteriora,
Attamen inſuetis ſunt nocitura minùs.
Queîs ſemel aſſuêſti, ſubitò nè, quæſo, relinquas,
Quippe hæc naturæ jam ſubiêre locum.
Naturam expellas furcâ, tamen usque redibit,
Sic conſuetudo vix, nisì lædat, abit.
Si tamen aſſuetum porrò tolerare noceret,
Tutiùs eſt lento te renovare gradu.
De reliquo in puncto poſitam nè crede ſalutem,
Nam miſer eſt, medicè vivere quisquis amat.
Non rerum caveas uſum, ſed ſemper abuſum,
Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.
Nîl nocet in quali, lædunt ſolùm omnia quantô,
Nec ſumma in minimo ſumpta venena nocent.
Lex antiqua manet: Sanis ſunt omnia ſana,
Dummodo non mediam transgrediare viam.
Non naturales Sex res de more vocantur,
A quibus ut cauſis vitáque mórsque, fluit:
Aura: alimenta: quies, motus: vigilantia, ſomnus:
Excretum, & remanens: paſſio mentis itèm.
Qualiter hæc vitæ ſint publica cauſa, necísque.
Ordine diſtincto nunc documenta dabo.

CAPUT

Caput II.

De Aëre.

PRimus it in rebus non naturalibus Aër,
Hoc fluidum, ſinè quo vivere nemo poteſt.
Hic ſit temperie medius, nec frigus abundet,
Nec calor, haud ſiccus ſit, madidúsve nimìs.
Si tamen in quodam ſuperet, tum ſiccior udô,
Frigidior calidô pluris habendus erit.
Si nimìs excedat calidô, ſubtilia difflat,
Quò vigor, & ſuccus corporis omnis abit.
Anxia tum gelidos quærunt animantia fontes,
Unde ſuam poſſit lingua levare ſitim.
Par eſt ſi nimio fuerit calefactus ab igne,
Quippe refrigerio deficit ille tuo.
Hinc veniunt febres calidæ, capitisque dolores,
Crebrior eſt pulſus cordis, orexis abeſt.
Si nimìs eſt ſiccus, facit arida membra: ſalivam
Spiſſat, & excruciat pectora rauca ſiti.
Frigidus adſtringit fibras, denſátque liquores,
Cogit & ad centrum vaſa premendo cutis.
Sudores retinet, cutis ac ſpiracula ſiſtit
Hinc inflammatu lædit, & igne ſacro.
Eſt inteſtinis, ſtomacho, capitíque nocivus,
Aſpera fiſſuris labra, manúsque facit.
Morbida terribili conquaſſat pectora tuſſi,
Sævior hoc omnis ſit dominante dolor.
Humidus emollit corpus, fibrásque relaxat,
Deſtituítque ſuô torpida membra tonô.

Circuitum liquidi tenet, excernenda moratur;
Sola cutis crebras languida fundit aquas.
Si tamen hic friget ſimul, omnis ſudor obhæret,
Unde trahunt ortus rheuma, febrésque ſuos.
Plùs tamen è reliquis auræ inconſtantia lædit,
Quando ſtatum nullum, temperiémque tenet.
Dum calor, & frigus, dum ſiccum alternat, & udum,
Quot genus humanum ſuſtinet indè neces!
Martius, Aprilis ſatìs, Octobérque, November,
Triſtibus exemplis id docuère ſuis.
Cur phtiſi plures Autumnô, & Vere perîſſe,
Et cum Solſtitio vita ſtetiſſe ſolet?
Aut quia fluxuros retinent inopina liquores
Frigora, vel tabum, quod remanendo necat.
Sive calor ſubitus ſuccos movet antè quietos
Suffocaturos, dum ſinè lege ruunt.
Cur Epidemiæ cruciant hoc tempore gentes,
Quàm quia tunc aër tam variatus obit?
Qui citò brumalem ponunt, vel ſerò reſumunt
Veſtem, hos liberiùs frigus, & æſtus adit.
Hinc calor expandit compreſſos antè cruores,
Inque vaporoſum cogit abire ſtatum.
Si ruat ad pectus ſanguis tumefactus ab æſtu,
Phlegmonoſa oritur ſanguinis indè ſtaſis.
Si ſequitur frigus, quod mox cutis oſtia claudit,
Tum vapor occluſus fit remorando putris.
Hic obicem ponit propulſo à corde cruori,
Cor removere ſtudet, fit calor, atque febris.
Lactea ſi frigus tibi ſiſtat flumina lymphæ,
Aſtma dolor dentis, rheuma, coryza venit.

Sit

Sit purus, gravis, ac elaſticus, atque ſerenus,
Aër, nec labes hunc peregrina notet.
Non prunæ, aut paries inducto calce novatus
Ut necet, halitibus ſuggerat arma ſuis.
Hæc etenim ſubitas pariunt corpuſcula mortes,
Aſtmata, & anginas, quæ jugulare ſolent.
Abſit & effluviis fœtus mineralibus Aër,
Hæc etenim noſtræ ſunt inimica craſi.
Hinc vel Spasmôdes profert in pectore morbos,
Sive reſolvendo pendula membra parit.
Aura nocet putridis undarum proxima ſtagnis,
Et, qua participes reddat, onuſtà lue.
Quæque per excelſos urbis circumdata muros
Stagnat, & à nullo flamine mota putret.
Quam veteres cryptæ, ac inhumata cadavera ſpirant,
Aut Latrina patens reddit odore gravem.
Quippe impoſſibile eſt, ut quis trahat Aëra putrem,
Quin ſimul evadat putridus ipſe cruor.
Purior eſt ſemper celſis in montibus aura,
Quippe à cœnoſi ſorde levata ſoli.
Jam quoque ventorum ratio non ultima reſtat,
Nam ſi commoveas Aëra, ventus erit.
Præcipuos quatuor nominant à cardine ventos,
Nec ſimiles vires unus & alter habet.
Eurus ab aurora eſt; *Zephyrúsque* à Sole cadente:
Is calet, & ſiccat: friget hic, atque madet.
Hos minùs attendunt Medici, nec particulares
A ſupra dictis promeruêre notas.
Terra meridiades *Auſtrum*, Septentrio ſævum
Emittit *Boream*: dignus uterque notis.

Cùm

Cùm mare per medium, & loca torrida transeat Auſter,
Temperie madidus dicitur, atque calens,
Unde tumere facit venas, habitúmque relaxat,
Spiritus hinc creber, pectoris angor adeſt.
Tum ſenſus hebetat, ſtomachalem tollit orexim,
Et vires animis, corporibúsque rapit.
Largus ab hoc ſopor, & laxata per oſtia ſudor
Effluit, ac pectus lubricum, & alvus adeſt.
Hic nares, oculos, mucis conſpurcat, & aures,
Et ſcabiem, tineas, ulcera fœda facit.
Sed Boreas Scythiæ niveis de montibus ortus
Frigidus, & ſiccus jure vocandus erit.
Unde fibras ſtringit, membrorum robur adauget,
Et facit ad motus corpora prompta ſuos.
Hinc (nisì quid nimium) liquidi projectio creſcit,
Et facies roſeo picta cruore rubet.
Sumpta coquit ſtomachus: ſenſus redduntur acuti,
Corporis, ac animi floret abinde ſalus.
Sæpè tamen ſævo malus eſt hic frigore ventus,
Et nocet inſuetis aſpera ferre fibris.
Dum nimis irritat pulmonem, & vaſcula criſpat,
Stat cruor, & tuſſis fit, laterisque dolor.
Sic parit horrores, urinam ſiſtit, & alvum.
Sic podagræ, & lapidum ſuſcitat ille mala.
Hoc tibi de ventis ſatìs eſt, ac Aëre dictum.
Aëra mutandi reſtat habere modum:
Si nimiùm tenuis, levis eſt, & torridus Aër
Fit bonus, effuſâ ſi madefiat aquâ.
Si ſtagnando putret, tormenta exploſa movere,
Campanæque ſonus, factáque flabra queunt.

Aëris

Aëris à nimio ſi non vis frigore lædi :
  Furnô, aut pellicea corpora veſte ſove.
Síque ſit infectus, craſſus, nebuloſus, & udus,
  Succensô poteris purificare focô.
Fomes erunt reſinæ, flores, herbæque fragrantes
  Juniperus, pinus, Thuráque ſacra Diis.
Manè bibendo theam, ſerò fumando tabacam
  Non minùs humentis damna cavere potes.
Sed ſi peſtifera jamjam ſit labe notatus
  Nîl poſſum meliùs conſuluiſſe fugâ.
Sunt tria quæ tollunt, Verba, ac Adverbia peſtem,
  Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

CAPUT III.
De Cibo & Potu.

JAm cibus & potus (nam vincula præſtat uterq;
  Corporis, ac animæ) diſcutiendus erit.
Corpora continuò tenues difflantur in auras,
  Perdita nî reparet potus, & eſca, cadunt.
Sæpè tamen fragilem ſubigunt alimenta ſalutem,
  Preſſa velut multo fomite flamma perit.
Et veluti morbos aër producit acutos,
  Sic magìs annoſos potus & eſca parit.
Túmque cibi moles, tùm qualificatio peccat,
  Quæ duo lædentis ſunt quasì bina manus.
Lex verò Quanti cum non quadret omnibus una
  Ipſe tui comedens arbiter eſto cibi,
Tantùm ſume cibi, quantùm natura requirit,
  Et ſtomachus nullo ferre labore poteſt.

Vivere

Vivere naturæ si convenienter amarent
Mortales, medica nil opus arte foret!
Quòd si fortè fames fuerit, quàm coctio, major,
De mensâ citiùs, quàm satiatus abi:
Sobrii enim res est animi, studiúmquè salutis
Interdum placitis abstinuisse bonis.
Si casu insolita nocuisti mole ciborum,
Aut nihil, aut modicùm mande sequenti die.
Non opus est medicina tibi: jejunia motus
Id satis efficient, quod medicina nequit.
Sumpta cibus tamquam lædit medicina salutem,
At sumptus prodest, ùt medicina, cibus.
Parcito sæpè cibis, & sic annosior ibis
Nam multum comedet, paucula quisquis edet.
Sed qualem decet esse cibum? respondeo, qualem
Ætas longa tibi non nocuisse docet.
Pro variis stomachis generalis regula non est,
Optimus hinc usus cûique magister erit.
Nam quos ille cibos coquit, alter ferre recusat,
Promptiùs hic duros digerit, ille leves.
Cùm tamen ante cibos alios sit clarior alter,
Paucula de noxis, & bonitate loquar.
Lenia nos nutriunt, nullóque notata sapore.
Non dulce, aut acidum, spiritus, acre, sales.
Quæ verò excellunt manifesti dote saporis,
Sunt condimentum, vel medicina magìs.
Dant nobis alimenta duo: vegetabile regnum,
Ac animale: nihil fert minerale cibi.
E vegetativo palmam frumenta merentur,
Unde hominum major pars alimenta capit.
Dat far triticeum panes, itidémque siligo,
Creditur at melior posteriore prior.

Diffi-

Difficilis coctu, graviórque Secalinus audit,
Attamen haud reprobam ſuggerit ille dapem.
Panis triticeus, teneráque ſiligine factus
Servatur Dominis, mancipiisque niger.
Nec poteris dotes ſimilæ numerare, nec uſus,
Piſtori toties cùm ſit & apta coquo.
Eſt tamen hìc dubium: num plùs de flore farinæ
Panis, vel rudi furfure factus alat?
Verum eſt, furfureus largo cum robore nutrit,
Sed ſtomachum fortem vendicat ille ſibi.
Unde datur paſſim famulis, multóque labori
Aſſuetis, & qui chylificando valent.
Cûi ſtomachus tener, & ſinè motu vita perennat,
Huic tenero potiùs conſulo pane frui.
Sit fermentatus, ſalsúſque, & coctus ad æquum
Non acidus, mucens, viſcidus, atque gravis.
Non cape de furno calidum, molésve placentas,
Flatus & colicas hæc neo-piſta creant.
Nè comedas cruſtam, choleram tibi gignit aduſtam,
Eſus laudatur, quando medulla datur.
Linque farinoſas pultes, paſtáſque tenaces
Inflant, & primis ſunt oneroſa viis.
De reliquo panis facit optima fercula ſanis,
Quo nullum tutò poſſe carere puto.
Panis cum vino, vires confortat, & auget,
Pane cibos inter nullus honore prior.
Nulla ſapit pinguis ſinè principe pane culina
Alget & effrænis quæ ſine pane gula eſt.
Sex tibi præ cunctis dat princeps commoda panis,
Si benè ſit coctus, ſi cereale bonum.

Optimus

Optimus indè Chylus, ſanguis quoque floridus indè
Putre cavet, laxat, membráque firmat, alit.
Hordeûm dat ptiſanas, ſed juſcula præbet avena,
Temperat, & rigidas mollit ûtrumque fibras.
Hinc atrophis, ſiccis, alvóque, & pectore ſtrictis,
Ac hypochondriacis, debilibúsque bona.
Nutrit Oryza probè, magìs at cum lacte parata,
Non tamen edendis flatibus illa deeſt.
Sorgum, frumentum Saracenum, Semen Ocymi,
Et Milium, panicum, terrea crede nimis.
Infarctus pariunt, & craſſa alimenta miniſtrant,
Nec nisì ſervilis digerit iſta labor.
Graminis, & Bliti pultes quoque ſemina præbent
Gentibus aſſuetis fercula grata ſatis. (vum,
Dulcia ſunt, & alunt, laxant quoque leniter al-
Non tamen in menſas noſtra Vienna trahit.
Hanc de communi meruêre legumina laudem,
Quòd faciant craſſos, ventiferósque cibos.
Primum Piſa locum capiunt, mediocria præſtant
Fercula, ſed tenerum prênditur indè nihil.
Humectant alvum, frænántque recentia bilem,
Sed condita nisì, coctáque nullus edat.
Sicca gravant, groſſósque creant in corpore ſuccos,
Præſtant jura, quibus nucleus omnis ineſt.
Hinc & laudandum piſum venit & reprobandum,
Rariùs hunc lædit, qui moderatus edit.
Eſt inflativum cum pellibus, atque nocivum,
Pellibus ablatis ſtat bonitate ſatis.
Piſa fabæ, tum phaſeoli, lentésque ſequuntur,
Lentes præ reliquis fercula prava putes.

Hæc igitur comedat gens, quam natura vigorat,
Ménsque vacans curis, perpetuúsque labor.
Nam teneros replent, turbatáque ſomnia reddunt,
Nec mens officio permanet apta ſuo.
Attamen ut damnis minùs apta legumina fiant,
Addere, quod flatus pellat, aroma juvat.
Abſtergunt renem ciceres, & lotia fundunt,
Nutriménque minùs, quàm medicamen agunt.
Jura etiam novi, de cannabe facta, ſed iſta
Tum caput, & ſtomachus, tum genitura luit.
Dulces dant epulas album, nigrúmque papaver,
Sed replent ſomnô cum gravitate caput.
Aſt orobi ſemen, fœnu græci, atque Lupini,
Nonniſi ſub caro tempore pauper edit.
Vis olerum nota eſt, ſunt nempe fibroſa, gravántque,
Dant flatus & aquas, prætereáque parùm.
Non tamen obtingit virtus horum omnibus æqua,
Unum quippe aliis eſt bonitate prius.
Sic Rapæ tenuis, viſcoſa, & terrea vis eſt,
Fert nutrimentum, quàm mediocre minus.
Tum vacuat renes, duram quoque ſublevat alvum,
At craſſis ſuccis ſæpiùs eſa replet.
Lac parit, & ſemen, Venerémque vigorat inertem,
Dicitur & viſum clarificare tuum.
Porrò melancholicos ſuccos in corpore ſolvit,
Pérque urinales promovet hósce vias.
Lubricat, & varias tollit de pectore tuſſes,
Sed ſtomachum multo flamine cruda gravat.

Rapa facit ventos, ventres scit ducere lentos,
Si vivas rapis, flamina sæpè rapis.
Provocat urinam, præstátque in dente ruinam,
Torsio causatur, si malè cocta datur.
Hanc apium sequitur, pastinaca, petroselinum,
Et sisarum, & napus disparitate levi.
Plus in alendo valent rapis (nisì petroselinum
Utpote dispeptum, demere forte velis)
Tum magìs attenuant, renes, muliebria ducunt,
Et stimulum veneri, materiémque ferunt.
Nutritu Scolymus bonus est, gratúsque sapore,
Mictum, & sudorem ducit odore gravem.
Obstructum reserat raphanus, mucúmque resolvit,
Ac medicina magìs, quàm cibus esse quadrat.
Provocat urinam, lapidésque in parte latentes,
Ructus, & flatus gignit, eósque movet·
Discutit, incidit, reserat, frangítque venenum
Allium: & Hungaricum dicitur Antidotum.
Proritat Venerem; lapides & menstrua pellit,
Urinâmque suo reddit odore gravem,
Enecat & vermes, abigítque è corpore mucum,
Dentibus, & capiti, luminibúsque nocet.
Mitius est coctum crudô, quia frangitur igne,
Hoc cepæ, & porrum sunt leviora gradu.
Condimenta cibis hæc, atque embaminata præstant,
Nec possunt veri munus obire cibi.
Alvum subducit, leviter spinachia nutrit,
Coctáque sub forma pultis edenda datur.
Huc atriplex horti, caulis redit, utraque beta,
Brassica crispa, rubens, albáque: malva, blitum.
Dixe-

Dixerunt malvam veteres quod molliat alvum,
Ardorem urinæ non minùs illa levat.
Jus caulis ſolvit, cujus ſubſtantia ſtringit:
Hæc etenim terram continet, illa nitrum.
Braſſica in oblongas partes capitata ſecatur.
Sallitur, & ſuccô, quem pluit ipſa, natat.
Fermentatur, & in liquido, quod fundit, aceſcit,
Coctâque vel junctâ, vel ſinè carne datur.
Delicioſa manet multis, ſed viſcera turbat,
(Mollior eſt ſimili rapa parata modô)
Qui ſtomachum, flatus, oculos, cerebrúmque queruntur,
Atque melancholicis iſta cavenda manet.
Plebs comedat: brumâ minùs, ac Æſtate nocebit,
Si cupis hanc viridem, mox erit, adde nitrum.
Si tibi pallentes moveant faſtidia caules
Nitratâ viridis braſſica fiat aquâ.
Præbet acetarium, ſi cruda paretur acetô,
Atque ſale, ac oleô: ſed quis amabò coquet?
Propria ſcorbuto naſturtia quæque vocantur,
Et quæ planta ſuum nomen abinde capit.
Ut Chærefolium, cochlearia, petroſelini
Herba: Chelidonium, quod minùs eſſe ferunt.
Huc pariter ſinapi ſpectat, raphanúſque marinus,
At lupulus minor eſt, aſparagúſque gradu.
Hæc ſputum, urinam, lapides, & menſtrua pellunt,
Attenuant, ſtimulant, aſthmaticóſque iuvant.
Spectat acetoſa huc, & beccabunga, ſed ambæ
Frænô plantarum ſal nimìs acre tenent,
Sed lactuca gravem levat, & rapunculus æſtum,
Et quæ ſub titulo militat herba pari.

Huc redit Endivia, & quos fert buglossa borago
  Flores; nam lymphæ sunt genus, atque nitri.
Bellis crede minor, tum nummularia phtisi
  Servit, ubi formâ juris habere licet.
Quas modò descripsi, plantæ aut embamma ciborum
  Dant, vel acetarium, vel bona jura tibi.
In condimentum crebrò quia servit acetum,
  Hujus vis nobis hìc trutinanda venit.
Frigefacit modicùm, sed plùs desiccat acetum,
  Acribus adjunctum temperat illa magis.
At minùs his prodest, acidô queîs corpus abundat,
  Et ructus acidi sæpè venire solent.
Constringit: bilem parit atram: sperma minorat,
  Infestat nervos, emaciátque simul.
Autumni fructus caveas, nè sint tibi luctus,
  Non tamen indè pari crede valore dari.
Tolle immaturos, præcoces, ùt nocituros,
  Quósque rubigo ferît, qui vorat indè perit.
Dulces corpus alunt fructus, acidíque refrænant
  Æstus, austeri stringere laxa solent.
Multùm juglandes, & amygdala dulcia pascunt,
  Et Coryli, pineæ, pistaciæque nuces.
Unde juvant graciles, & longa tabe macentes
  Tenvia dum spissant, acria dulcificant.
(At simul urinam proritat amygdalum amarum,
  Viscida solvendo lenis amaror agit)
Rancor ab his absit; sint dulces, atque recentes,
  Rauca secùs facient pectora, colla tibi.
Nucleus è ceraso lapides, & lotia ducit,
  Si datur emulsus potus abinde tibi.

Lar-

Largum caſtaneæ, ſed onuſtum flatibus edunt
Chylum, quem graviter viſcera fracta ferunt.
Fert & aquæ tribulus ſuccos infirma gravantes
Viſcera; ſed glandes ſunto ſagina ſuum.
Paſſula dulcificat majórque minórque cruorem,
Et benè cum facili pectore corpus alit.
Jujubæ idem, caricæ pingues, pruna optima toſta,
Et ſiliquæ dulces, atque ſebeſten agunt.
Tum quoque ſolvendo ſunt hæc aptiſſima ventri,
Atque hoc affuſo cocta liquore magis.
Frigida aquoſa nimìs reor armena mala, melones,
Perſica, cum fragis, crudáque pruna fore.
His pariter ceraſa, & poma, & pyra dulcia, mora
Bacca rubi idæi ſunt meliora parùm.
Huc uvas criſpas maturas ferre licebit,
(Guſtum immaturæ quippe movere ſolent)
Huc quoque myrtillos fas ſit poſuiſſe recentes,
Quos nisì ſiccatos ſtringere credo nihil.
Hæc licèt æſtivos nôrint frænare calores,
Sæpè tamen nimia frigiditate nocent.
Subjectis equidem calidis minùs iſta nocebunt
Viſcera queîs data ſunt frigidiora magìs.
In quibus eſt facilis per apertam tranſitus alvum,
His quoque non tantum dicta nocere queunt.
Regula priſca monet: *poſt pomum vade cacatum*,
Hæc quoque pro reliquis fructibus eſſe poteſt.
Aſt ubi ſeceſſum celerem contenta morantur,
Mox fermenteſcunt, putrificántque ſimul;
Tunc colicas pariunt, choleras, & flumina ventris,
Debilitant vires, dejiciúntque tonum.

Exceſſus malus eſt, & magnis janua morbis,
Decipit internis extera forma bonis.
Mala cave, mala ſunt, poſſúntque inducere febres,
Forma placet nitidi corticis, eſca nocet.
Interea nocuos emendat coctio fructus,
Et bona vina, velùt carmina priſca ſonant.
Fert pyra noſtra pyrus, ſinè vino ſunt pyra virus,
Si pyra ſunt virus, ſit maledicta pyrus.
Dum coquis antidotum pyra ſunt, ſed cruda venenum,
Ventrem cruda gravant, ſed benè cocta levant.
Punica temperiem referunt, ac aurea mala
Dulcia, ſed nimium gignit ubique malum.
Berberis ardores gratô moderatur acetô,
Cúmque acidis ceraſis, punica mala, ribes.
Hinc febribus proſunt calidis. Huc ſuccus agreſtæ,
Succus limonum pertinet, atque citri.
Conciliant Stomacho guſtum, cordíque vigorem,
Nè furiat bilis, vel fluat alvus, agunt.
At quibus incedunt lenti per vaſa liquores,
His fixando magìs plùs nocitura puto.
Jam dulces inter fructus, acidósque ſapore
Vinoſi mediant, cor ſtomachúmque juvant.
Hìc vinoſa vigent aurantia, punica, poma,
Scorbuti, & calidæ magna medela febris.
Laudat aromaticus pyra moſchatellina guſtus,
Pomáque, quæ Borsdorff patria ferre ſolet.
Unde Melancholicis, quibus humor viſcera ſtringit
Auſterus, gratum ſæpè levamen agunt.
Leniter adſtringunt aſſumpta cydonia mala,
Hinc quoque ventriculo jure dicata manent.

Me-

Meſpila ſat validè ſtringunt, ac omnia ſorba,
Idque immatura, aut toſta calore magìs.
Multiplicant mictum, ventrem dant meſpila ſtrictum,
Prunum ſylvarum diſcrepat indè parùm.
Hæc ſacrata licèt diuturnis fluxibus alvi,
Majori ſtomachum mole comeſta gravant,
Bacca cynorrhodon renum propellit arenas,
Alvúmque à nimia fluxilitate levat.
Diſpepti cucumes crebrò infunduntur acetô,
Hósque cibis junctos vix coquit una dies.
Capparis, ùt mos eſt, condita ſat urget orexim,
Dummodò concoctu tam levis ipſa foret.
Abſtergit ſtomachum, ventrémque emollit oliva,
Si ſumas oleum, mox dolor omnis abit.
Peſſima ſunt ſuccô lycoperſica, pignora quippe
Solani, hinc generant congrua damna patri,
Vulgus amat noſter Paradyſi poma vocare,
Inque embama capit, ſed malè nomen habent.
Id quoque de pomis meritò cenſemus amoris,
Sunt etenim ſimili progenerata patre.
Fungi cùm fuerint terræ de fæcibus orti.
Corporis in fæces rurſus abire ſolent.
Tartufli è fungis, & lacteus, atque ſuillus,
Pezitæque aliis præripuêre locum.
Saccharon ad guſtum dulce eſt, acidúmque recondit,
Hoc rodit dentes, dulce parumper alit:
Vulnera mundificat, pectus delinit, & alvum,
Et varios uſus in medicando facit.
Aſt hypochondriaci caveant, nam turget, & inflat
Hos, quibus exundant ſucci aliunde mali.

Mel paulò meliùs nutrit, prodéſtque ſenectæ,
Abſtergit pectus, colláque rauca levat;
Aſt ubi pravus acor, vermes, vel mucus abundat,
Flatibus, & dulci viſciditate nocet.
Condimenta inter ſupereſt, ut aromata ponam,
Et quantum valeant viribus iſta, feram.
Hæc quæcunque manet generalis aromata virtus,
Quod caleant, ſiccent, ſumptáque cruda coquant.
Diſcutiunt flatus, colicámque à flatibus ortam,
Robora nervoſis partibus apta ferunt.
Hìc primum piper eſt usûs vulgaris aroma,
Viſcida diſſolvit vi penetrante ſuâ.
Quid, piper eſt nigrum? non eſt diſſolvere pigrum,
Phlegmata dum purgat, chylificare juvat.
Leuco-piper ſtomacho prodeſt, tuſsimque reſolvit,
Tollitur hoc febris præveniendo rigor.
Zinziber inſequitur, quod vi penetrante minori,
Quàm piper exundat, ſal tamen acre fovet.
Ditior eſt oleô, licèt acris caryophyllus,
Unde ſoporoſis eſt medicina malis.
Suavior eſt guſtu cunctis, & odore canella,
Et vim cardiacam vendicat iſta ſibi.
Quódque canella facit, quoque caſſia lignea præſtat,
Aſt hanc majori ſumere mole decet.
Sacrantur cerebro paradyſi grana, cubebæ,
At nimis exſiccant, hinc ea ſæpè nocent.
Eſt uteri macis, vomitus domat, atque dolores,
Eſt penetrans oleô, menſtrua tarda movet.
Macere blanda magis nux eſt moſchata: dolores,
Et fluxus nimios, promptiùs iſta ligat.

Pul-

Pulmones animat crocus, invitátque ſopores,
  Cordáque lætificat, membra dolere vetat.
Dat cortex oleum ſubtile volatile citri,
  Carminat, & cordi, ſpiritibúsque favet.
Flatibus antidotum ponunt, qui ſemen aniſi,
  Vel carvi miſcent, fæniculive cibis.
Nunc animale meo ſuccedit in ordine regnum:
  Dicam quæ bona ſit, quæ reprobanda caro.
Sed de carne priùs generaliter iſta notentur,
  Quòd variis ſoleat divariare modis.
Sic elixa caro nutriendo eſt vilior aſſâ,
  Nam partes ſapidas jura coquendo trahunt.
At minùs aſſando quævis caro durior apta eſt,
  Non etenim poterit dens ſuperare tuus.
Aſſa igitur molles carnes, & decoque duras,
  Sic bonus indè tibi fiet utrinque cibus.
At fumata caro ſalſa, & duriſſima coctu eſt,
  Et fit ſcorbuto congener indè cruor.
Fumari meliùs caro pinguis, & humida perſert,
  Hinc fumata prior laude ſuilla caro.
At quæcunque caro de ſe jam durior extat,
  A fumo lignis durior illa foret.
Maxima Weſtphalicæ jactant præconia pernæ,
  Dum ſapiunt ori, læditur indè ſalus.
Copia quando datur, carnem tibi ſume recentem,
  Fœtida quippe putret, cuncta putredo nocet.
Firmum ſuppeditat ſanis caro bubula paſtum,
  Sint annis medii, panoniique boves.
Proximus eſt vervex, nimiúm ſi non ſit adultus,
  Sed pinguedo feret damna bibendo ſuper.
Pura minus, viſcoſa magis caro, crede, ſuilla eſt,
  Sana tamen ſanis, ſi modò pingue cavent.

Sunt tamen hæ carnes robuſtæ fercula gentis,
Et validum ſtomachum,qui coquat,eſſe petunt.
Vilior eſt taurus, vel bos, qui traxit aratrum,
Huc aries, ovis, & vacca vetuſta redit.
Quippe labore pecus quodvis vileſcit, & annis,
Hæc duo cùm ſoleant durificare fibras.
Capra quidem ſordet, choleráque, & flatibus opplet,
At ſi digeritur, firmiter illa nutrit.
Arridet juvenis magìs hædulus, atque capella,
Fœtida fert hircus, fœtidus ipſe, bona.
At vitulina caro tenera mucagine pollet,
Unde poteſt ſtomacho debiliore coqui.
Anniculus teneras carnes quoque poſſidet agnus,
Subrumus humidior, ſed bonus aſſus erit.
Mollitie matrem ſuperat nefrendulus ipſam,
Par equidem ſano eſt ſumere, raró tamen.
Non equus aut aſinus noſtræ ſunt fercula menſæ,
Nec canis, aſt aliud munus obire ſolent.
Nemo catos cicures germanos appetet inter,
Captandis potiùs muribus hóſce dicant.
Offert capreolus nobis in fercula carnes,
Quæ ſe commendant à bonitate ſua.
Huc referas damam nulli bonitate ſecundam,
Quæ celſos montes ſcandere gnara fuit.
Firma caro cervi juvenis nutrimina præſtat,
Dura nimis cervus fert alimenta ſenex.
Eſt aprugna caro cicuri minùs humida porcô,
Durior eſt verres, atque ſenilis aper.
Ex urſis manuum laudant extrema, pedúmque,
Magnatúmque cibis annumerare ſolent.

Porrò

Porrò melancholici ſucci eſt, licèt usque vocetur
Inter quadrupedes gloria prima lepus,
Præcipuè vetus, & nimiô corroſus acetô,
Nam junior minimè vituperandus erit.
Præ leporis teneram dat carne cuniculus eſcam,
Eſt bonus, at nobis raró ſciurus adeſt.
Sylveſtris lepori ſimilis catus eſſe putatur,
Obtinuítque inter delicioſa locum.
Excipit hiſtricis permolles nauſea carnes,
Dicitur his carnes taxus habere pares.
Humiditate gravem confert Erynaceus eſcam,
Et ſimul urinam renibus ille movet.
Frigefacit, laxat ſtomachum caro fœtida lutræ
Quam, nisì perraró, nauſeabundus edes.
Indolis ejusdem eſt caſtor, licèt undique caudam
Deliciæ procerum, & poſtera crura petant.
Nonnulli comedunt vulpem dum pinguet ab uvís,
Nauſeat hanc ſemper patria noſtra dapem.
Eſt quoque per pecudum grandis variatio partes,
Nec ſibi dant ſimiles in bonitate cibos.
Optima pars illa eſt pecudis, quæ muſculus audit,
Laudis in exemplum lingua venire poteſt.
Quis melior cibus eſſe poteſt, quàm lingua bovina?
Hoc nisì quod maneat durior hujus apex.
Mucoſum vituli caput eſt: ſanísque ſuillum,
Aprugnúmque magìs delicioſa manent.
Roſtra, aures, ſtomachus, ſplen, inteſtina, pedésque,
Et corium mala ſunt, coctáque gluten agunt.
Ipſa quidem multò melior bovis ungula non eſt,
Delicioſa licèt pluribus eſſe queat.

Dige-

Digeritur tardè jecur, & cor; at ubera promptè,
  Sed jecur anſeribus molle ſagina facit.
Renes, ac teſtes, paſtum cum fæce miniſtrant,
  Nutritúmque levem pulmo dat ipſe levis.
Mucoſus cibus eſt cerebrum, ſpinæque medulla,
  Unde tuo ſtomacho nauſea ſæpè manet.
Ventriculum laxat pinguedo, coagula præſtat,
  Excipit hanc vetitam nauſea longa dapem.
Viſcera mactati fiunt farcimina porci,
  Et pro contentis plúsve, minúsve valent.
Groſſus apexabo eſt, quia lardo & ſanguine fartus,
  Nec laudes alias ipſe faliſcus habet.
Conſtituunt botulum carnes, hepárque tomâcla,
  Plus illi retinent laudis, at iſta minus.
Lac nutrimentum præ cunctis præbet opimum,
  Quod natura parens prolibus ipſa parat.
Hoc potum ſimul, atque cibum largitur edenti,
  Allicit eſuros & ſapor, atque color.
Lacte merô veteres uſi memorantur, & iſto
  Vitam in Neſtoreos detinuêre dies.
Obſervanda tamen quædam ſunt lactis in uſu,
  Nè ſtygium fiat virus opima dapes.
Abſit ab infarcto ſtomacho, variiſque repleto,
  Cúmque dolor capitis, vel mala febris adeſt,
Aut ubi crebra ſitis, vel ſunt hypochondria tenſa,
  Sive diarrhæam bilis acuta facit.
Lac acidum non fert, hoc quippe coagulat iſtud,
  Et mala conjugium plurima tale parit.
Id quoque tam vinum præſtat, quàm ſpiritus ejus,
  Unde nec aſſumpto lacte bibenda tibi.

Lac

Lac muliebre præit, noſtròque ſimillima chylo eſt
Potio, quin chyli pars nominanda magis.
Dilutum magis eſt aſininum lacte bovino,
Ulcera detergit phtiſis, alitque macros.
Pinguius eſt, multúmque potens nutriendo bovinum,
Hinc ubi plus opus eſt membra nutrire placet.
Inter utrumque prius medium eſt virtute caprillum,
Non eſt dilutum, nec quoque pingue nimis.
Lac ſequitur lactis ſoboles genuina butyrum,
Lactis in hoc nutriens pars oleoſa latet.
Hoc pani, reliquiſque cibis dum jungitur, illos
Condit, & optatus fit cuicunque cibus.
Viſcera demollit, ſuffocat & acre venenum,
Balſamat internæ vulnera partis idem.
At ſuper hoc meliùs requie commotio confert,
Non minùs & moles eſt moderanda dapis,
Dulcor amareſcit nimiùm frigendo butyrum
Acre fit & collis, pectoribúſque nocet.
Caſeus eſt lactis natus quaſi degener, etſi
Crebrò participet de bonitate patris.
Sunt duo queîs multùm variatur caſeus: ætas,
Materiéſque ſui, perſpicienda probè.
Caſeus è puro, & completo lacte paratus
Eſt bonus & pinguis, nec malè corpus alit.
At qui conficitur demptô de lacte butyrô,
Terreus eſt, nimiùm replet, alitque parùm.
Qui nimis eſt juvenis, terrâ & viſcedine dives
Obſtruit, & ſtomachos absque ſapore replet.
Eſt magis ad guſtum vetus, aſt impurior idem
Putrefacit reliquos, putridus ipſe, cibos.

Cha-

Charior eſt ætate ſua mediocris, & in quo
Sal acre induitur viſciditate levi.
Non Argus, largus, non Magdalena Mathuslem,
Hon Habacuc, Lazarus, caſeus ille bonus.
Caſeus & panis ſunt optima fercula ſanis.
Qui minùs eſt ſanus, retrahat indè manus.
Undè Melancholicis, & arenâ in rene gravatis,
Aut podagrâ, vetitus caſeus eſto cibus.
Vult equidem ſanus, metra per vicina videri,
Dum lavat innocuas caſeus ipſe manus.
Ignari Medici me dicunt eſſe nocivum,
Et tamen ignorant cur nocumenta feram?
Expertis notum eſſe reor, qua commoditate
Languenti ſtomacho caſeus addat opem.
Caſeus ante cibum confert, ſi defluat alvus,
Si conſtipetur, terminet ille dapes.
Attamen & ſanus nimiùm nè ſumere fidat,
Digeritur modicum, portio magna nocet.
Caſeus eſt nequam, quia digerit omnia, ſe quàm,
Caſeus ille bonus, quem dat avara manus.
Quadrupedum turbam pecorum pennata ſequuntur,
Hæc cenſentur iis pleraque ſicca magis.
Inter aves cicures laus magna caponibus eſto:
Sunt coctu faciles, atque ſapore boni.
Inſequitur pullus carnis bonitate capones,
Eſt tamen hic illîs humiditate prior.
Siccior eſt pullô gallina, nec indiga laudis,
Præcipuè ſi non ſit veterata nimìs.
Excrementa quidem credunt dare multa columbam,
Eſt tamen hæc junior non renuenda dapes.

Durior eſt gallus, ſpeciatim ætate vetuſtus,
Nec fibra molleſcit ſit nisi cocta diu.
Juſcula gallinæ, & pulli nutrientia præbent,
Quæ pro debilibus ſunt medicamen alens.
Jus galli veteris ventrem ſolviſſe refertur,
Aſt hoc perpetuum vix ego credo fore.
Indicus eſt gallus jucunda, & nobilis eſca,
Huic caro per partes dicitur eſſe triplex.
Pavo quidem novit noſtrum captare palatum,
Eſt fibroſa tamen, difficilisque caro.
Anſer, anásque ſenex gravis eſt, ſtomachóque reſiſtit,
Suavior eſt junior, nec nutriendo malus.
Ova probè, & multùm nutriunt, ac ſemen adaugent,
Non tamen albumen viſciditate caret.
Creditur hinc meritò vitellus ſanior eſſe,
Quippe in nutritum totus abire ſolet.
Ova tamen caveat vitioſo humore repletus,
Et fragilis ſtomachus, nam remorando putrent.
Qui minùs ova ferunt, his trita & mixta liquori
Lutea pars ovi juſcula ſana dabit.
Durum ovum fugias, ac in ſartagine frixum,
Conducet molle, & ſorbile cûique magis.
Ova animata cave, requieta, urináque ſemper,
Si ſumas ovum, molle ſit, atque novum.
Tum pelluciditas, tum lacteus humor in ovis
Coctis conſpicuus comprobet illa tibi.
Regula Presbyteri jubet hoc pro lege teneri:
Quòd bona ſint ova candida, longa, nova.
Inter aves ſylvæ princeps ſit Phaſidis ales,
Nam titulos omnes hic bonitatis habet.

Pro-

Proximus insequitur majórque minórq; grygallus,
Nec minùs est laudis dignus uterque suæ.
Ast uro gallus phasiano cedere palmam
Ambiget, ætatis dum juvenilis erit.
Attagen haud secùs est sapida & laudabilis esca,
Fertur arenosis renibus esse bona.
Tarda facit tardam sua post nutrimina mentem,
Quippe Melancholicis fæcibus illa replet.
Raro subit cygnus mensas : ætate tenellus
Anseribus similis carne, vetúsque tenax.
Anser, anásque ferus cicuri magis aridus, atque
Duritie medium transgrediente gravis.
Siccior est justô, minùs hinc capienda palumbes,
Lautior, & melior turturis esus erit.
Sicca quidem modicè, stomacho tamen optima perdix,
Roborat, & pastum fert sinè fæce bonum.
Carne bonâ satis est, editúrque impunè coturnix,
Nec metuendus ab hac carne caducus erit.
Rusticulæ sapiunt sylvestres, & bene pascunt,
Pulveris explosi fœnora larga ferunt.
Inter aves turdus juxta præconia Vatis,
Quæ sapor ipse probat, gloria prima manet.
Est minor, at multùm turdela fit æmula turdo,
Plùs paulò merulis in bonitate deest.
Uviferâ sturnus corpus de vite saginat,
Transit, & attenuans dicitur esse cibus.
Digna manet laudis, quia puro replet alauda
Sanguine, & in colico fit medicina malo.
Exiguum sperare potes de passere pastum,
Nî fors furtivô pingueat ille bonô.

Quid

Quid tandem de te ſuavis luſcinia dicam ?
  Vox es cum plumis, prætereáque nihil.
Hunc ſenſum meritò de ſe quoque Regulus audit,
  Et ſi fortè minor corpore detur avis.
At cum ficedulis volucres dant fercula quædam
  Autumnô; ſapiunt, nec nutriendo vacant.
Huc phænicurus, fringilla, rubecula, parus
  Ponitur à nobis, atque galenus avis,
Nec curruca minùs, linaria ſuavis, acanthis,
  Et cardûelis in hunc eſt referenda locum.
Aſt aliæ volucres, ùt pica, monedula dantur,
  Quæ celebrata minùs fercula ferre ſolent.
His Coccothrauſtes loxiâs & pyrrhulis inſunt,
  Et nucifrangibulus, garrulus, atque pares.
Sic quoque ſorditie dicunt magìs eſſe refertas,
  Quotquot aves undas incoluiſſe ſolent.
Huc motacillas, fulicas ego, ruſticuláſque
  Undicolas, mergos: querquedulásque loco.
Ardea, & alcedo, longóque ciconia roſtrô
  Inter non edules jure locantur aves.
Piſces putreſcunt promptè, ſunt humidiores,
  Nutrimenta aliis viſcidiora ferunt.
Tu piſces molles, & magnos corpore tolles,
  Nam fertur melior durior, atque minor.
Fumô induratos crebrò cave ſumere piſces,
  Sunt enim ſtomacho non ſuperanda dapes;
Nam licét humiditas fumô ſiccetur aquoſa,
  Horum viſciditas fit magìs indè tenax.
Salmo quidem ſapidus, ſed non ità ſanus habetur,
  Fercula largitur viſcida craſſa nimis.
Gluten habet firmus ſimul, & ſapidiſſimus huſo,
  Hinc ſanis ſtomachis proprius eſto cibus.

Mollior, & ſapidus minùs eſt huſone ſilurus,
Fitque hujus piſcis nauſea ſæpè comes,
Viſcidus, & craſſus, licèt ori ſturio gratus,
Sæpè hujus ſequitur nauſea dulce jecur.
Robuſtæ gentis firmum eſt nutrimen aſellus,
Durior eſt teneris, ventriculúmque gravat.
Truta ferè piſces reliquos ſupereminet omnes,
Fit tenuis chylus, fit bonus indè cruor.
Eligitur maculi's, & carne rubente notata,
Salmonata ideò plùs mihi truta placet.
Optimus, & piſcis ſaniſſimus eſſe thymallus
Dicitur, hinc ægris raro negandus erit.
Lucius eſt junior ſucci bonitate celebris,
Hinc ægris etiam fert aliquando cibum.
Carpius eſt mollis, pinguiſque, minúsque ſalubris,
Præſertim Podagræ dicitur eſſe malus.
Præ reliquis laudem fert carpio Danubianus,
Expetit hunc ideò ſæpè Vienna ſibi.
Lucium à cauda, carpionem à capite lauda.
Æmulus hexametro verſus ubique ſonat.
Perca parat claſſis primæ fluviatilis eſcam,
Dátque bonum ſuccum, digeritúrquè citò.
Concoquitur facilè, & ſuavis muſtela palato eſt,
Dum ſua præſertim ſuppetit ova ſimul.
Barbo nimìs mollis, melior fit quando ſeneſcit,
Namque ità pars nimiùm pittuitoſa perit.
Ova autem barbi non raro tormina ventris,
Et vomitum choleram, non ſinè morte creant.
Crebrò anguilla parit faſtidia glutine dulci,
Quam firmus ſtomachus concoquat, atque labor.

Ob-

Obſtruit, & multâ viſcedine tinca moleſtat,
Corruptu eſt facilis nec ſapit usque benè.
Suggerit alburni vilem caro mollior eſcam,
Multum pittuitæ progenerare capax.
Fundulus è parvis: barbula dicta cobitis,
Infirmis etiam præ bonitate datur.
Mordilapis ſequitur tum gobio, phoxinus: iſti
Mox dictis cedunt in bonitate locum.
Tardè digeritur ſucci Muræna tenacis,
Ructus heri ſumptam manè ſapore refert.
Inter delicias neo-captus ponitur halec,
Verùm ad nos ſalſus difficilisque venit.
Dulcior evadat quamvis immerſus in undas,
Nîl hypochondriacis, debilibúsque valet.
Vilior exiſtit fumô ſiccatus, & arens,
Cum fumo halecis gratia cuncta perit.
Sic rhombus, ſoleæ cum paſſere juſta recentes
Nutrimenta ferunt, ſúntque ſapore boni.
Aſt ubi ſiccati noſtras portantur in oras,
Non benè jam ſapiunt, duritiéque premunt.
Oſtrea cruda manet ſtomachis inidonea noſtris,
Nam ſale cum nimia viſciditate viget.
Incitat ad Venerem, pariendis febribus apta eſt,
Sed minùs hâc crudâ cocta nocere poteſt.
Cochlea parva maris paris eſt, ac oſtrea, ſucci,
Salſa tamen cochlea eſt, atque fibroſa magìs.
Inſipida durus conſtat viſcedine limax,
Nec niſi robuſtos hunc decet eſſe cibum.
Hecticus indè ſibi quærat medicamen, & eſcam,
Verùm ad mollitiem decoquat antè ſibi.
Juſcula cancrorum medicinam credito tabis,
Sed cancros ipſos fercula dura putes.

Verùm teſtudo tenerum parit optima ſuccum,
  Hinc teneris etiam convenit eſſe cibus.
Sic quoque ranarum coxæ ſunt eſca ſalubris,
  Et macres, atraphos, aſthmaticósque juvant.
Fert condimentum regnum minerale ciborum
  Sal, ſinè quo fermè non ſapit ulla dapes.
Vas condimenti præponi debet edenti,
  Nam ſapit eſca malè quæ datur absque ſale.
Sal virus refugat rectè, inſipidúmque ſaporat,
  Viſcida diſſolvit, chylificare juvat.
Abſtergit, reſerat ſal, à putredine ſervat,
  Non tamen excedas, ſed moderamen habe.
Sal primò apponi debet, primóque reponi,
  Nullus ut excedat, deficiátve ſale.
Urunt res ſalſæ viſum, ſeménque minorant,
  Pruritum ſcabiem dant, rigidámque cutem.
Altera pars vitæ liquidorum potio noſtræ,
  Qua ſinè nutriri corpora nulla queunt.
Nam niſì per liquidum membris alimenta vehantur,
  Areſcet corpus, nec cruor ipſe fluet.
Sed varias potûs ſpecies natura miniſtrat,
  Purior arridet, ſimpliciórque magìs.
Hinc aqua tam bonus, & ſimplex ſinè crimine potus
  Poſterior reliquis potibus eſſe nequit.
Extrahit aſſumpta purum nutrimen ab eſca,
  Et variis defert partibus absque mora.
Viſcida diſſolvit, reſerat, ſal diluit omne,
  Et longa annorum poſteritate beat.
Excellit levior, pura, & ſubtilior unda,
  Quæ nîl deponit, quæ citò piſa coquit,

Quæ

Quæ ſalit è ſabulo, quæ nullo prorsùs odore,
Sive ſapore ſcatet, nec peregrina fovet.
Sit limoſa procul, gravis, ac impurior unda,
Quæq; tophos generat, nam mala multa creat.
Hanc tamen emendes leviter, brevitérque coquendo,
Quippe perit tenuis pars recoquendo diu.
Panis itèm toſtus, vinum, vel ſpiritus ejus,
Cornu cervi uſtum corrigit, atque citrus.
Sic per plumboſos abſit deducta canales,
Nam fluxus alvi procreat, atque nocet.
Abſit quæ ſtagnat nimiùm, raróque movetur,
Nam vitium capiunt, nî moveantur aquæ.
In ſpecie levitate prior pluvialis habetur
Unda, ſed hæc ſecum multa nitroſa vehit.
Sub dio capias, vitris teſtísve reſerves,
Ut mala deponat, nec priús háncce bibas.
Subſequitur fontana magis vulgaris in uſu
Et levitate parùm; nil bonitate minor.
Ponderat è puteo plus hauſta, minúsque ſalubris,
Nam minùs adjectis ſordibus iſta caret.
Proxima ſuccedit glacialis, itémque nivalis,
Frigore craſſeſcit, ſpiritibúsque vacat.
Pejor erit dictis pro potibus unda lacuſtris,
Quippe hanc putrefacit continuata quies.
Peſſima cunctarum tandem venit unda paluſtris,
Fæx eſt, & longis facta putredo moris.
Potibus humanis lympha hæc indigna videtur,
Neſcia nî legis ſors violenta premat.
Craſſos humores generat cereviſia, vires
Suggerit, & carnem, ſanguine vaſa replet.

Provocat urinam, ventrem quoq; mollit, & inflat,
Fitque laboranti potio grata viro.
Eligitur pura, & tenuis cerevisia, quæ non
Granô, vel lupulô sit saturata nimìs.
Sic à triticea differt hordeacea tantùm,
Illa magìs nutrit, temperat ista magìs.
Constet aquâ tenui, decocta sit & lupulata,
Fermentata etiam, qualiter esse decet.
Et citò reddatur per lotia: non sit acescens
Fæcibus haud turgens, turbida, crassa, recens.
Quippe gravat similis caput, ac hypochondria tendit,
Stranguriam, colicas, asthmata sæpè parit.
Est tamen è cunctis gratissima potio vinum,
Quod vires animo, corporibúsque parat.
Vivificat stomachos, & itus, reditúsque cruoris,
Verum est cardiacum, quin panacæa merum.
Et veluti vitis colludit nomine vitæ,
Sic & in effectu sunt peramica sibi.
Infanti, juveni, vinum nocet, atque calenti,
Morbis queîs calor, & motus adauctus inest.
Phlegmaticis, senibus magè convenit, atque quietis,
Hinc quoque lac meritò dicitur esse senum.
Est magè conveniens hyemali tempore vinum,
Póstque cibos duros, quàm secùs esse solet.
Insuper insanus vini caveatur abusus,
Et magis ac potus sit medicina merum.
Vina parant animos, faciúntque caloribus aptos,
Sumpta tamen quantô non superante modum.
Vina parunt asinos, faciúntque furoribus aptos,
Quando fluunt quantô transgrediente modum.

Vina

Vina bibant homines, animantia cætera fontes,
  Sed non fiat homo vina bibendo pecus.
Vina probantur odore, sapore, nitore, calore,
  Sic placuit medicæ te docuisse scholæ.
Ast ubi selectum quæris COS vina probabit,
  COS vini Color est, ac Odor, atque Sapor.
De primo moneo, nimiùm nè crede colori,
  Quippe fit adjecto sulphure sæpè color.
Optima fulva reor, si sint subtilia vina,
  Albáque spirituum credo fovere minus.
Sic austera magis viridantia vina putantur,
  Terrea stringendo rubra, vel atra reor.
Convenit, ut vinum recreanti fragrat odore,
  Non inodora tamen vilia semper erunt.
Dulcia plùs nutriunt, stringunt austera sapóre,
  Fortiter humores spirituosa movent.
Multa acidô crudô succos in corpore figunt,
  Multa caput nimio sulphure vina replent.
Queîs minùs est acidi, sed sunt vinosa sapore,
  Et citò secedunt, utilitate vigent.
Sit procul à nobis vinorum potio, quorum
  Vasa sapor referat, vel peregrinus odor.
Insuper & tenuis fert consistentia laudem,
  Displicet indicium calcis inesse mero.
Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in ipsis,
  Quæ te verba per F quinque notata docent.
Fortia, Formosa, Fragrantia, Frigida, Frisca,
  Sed vinum nigrum te facit esse pigrum.
Nunc patriam vini paulùm spectare licebit,
  Nam variat patrium vina valore solum.

Hungaricum princeps facilè eſt me judice vinum,
  Huic etenim dulcor ſpirituoſus ineſt.
Adjuvat hoc acidos ſtomachos, lentéque coquentes,
  Et quibus eſt morbus chronicus ante fores.
Optima fert Tokay, quamvis Hiſpanica tellus
  Æmula pannoniis jactet habere meris.
Succedunt ſanctus quæ vina Georgius offert,
  Gloria tum patriæ Sopronienſe merum.
Adſtringit Budenſe rubens, eſt lenius illis,
  Hinc laxo ſtomacho commodus hauſtus erit.
Mollius & vinum eſt, & mitius Erlavienſe,
  Et vario differt hócce colore merum.
Paucior Italicis eſt cum dulcedine vinis
  Spiritus, in ſpecie ſi priùs illa coquant.
Fortificant ſtomachum, quæ fert Florentia vina,
  Nec vinum Eſt, Eſt, Eſt, in bonitate deeſt.
Pro ſtomachis acidis fert terrea vina Tyrolis,
  Nè reſtent, abitum motibus hisce para.
Optima vina tibi dabit alba, rubrique coloris
  Leittach, Traminum, Brixina, Bozen, Epan.
Diluto renitent Burgundica vina rubore,
  Súntque rubris aliis ſpirituoſa magis.
Vinum Rhenanum tenue eſt, & lotia pellit,
  Temperiéque ſua pocula grata refert.
Æmula Rhenanis Franconica vina feruntur,
  Atque Moſellanum, ſunt leviora tamen.
His quoque Neccarinum vinum ſociare licebit,
  Eſt leve, & innocuè ſumere quisque poteſt.
Sub lentore tegunt mera Luttenbergica dulci,
  Sat vehemens acidum, credóque ſana minùs.

Partitur binas in claſſes Auſtria vinum,
Viniferum fluvii disparat unda ſolum.
Quæ cis Danubium creſcunt, potiora valore,
Quam trans Danubium quæ vegetantur erunt.
Illa magìs pura, & ſubtilia, ſpirituoſa,
Hæc ſunt tartarea, & viſcida lenta magis.
Illa tibi promptè per corporis otia pergunt.
Longiùs hæç remanent, & remanendo nocent.
Auſtriacum vinum montanum ætate vetuſtum
Cedet Rhenanis in bonitate parùm.
Quæ gignit Nusberg, Mauer, Clauſtrum Neoburgum,
Et Biſenberg reliquis ſunt meliora meris.
Tartarus in Moravo vino ùt trans-Danubiano,
Cum lenta retinet viſciditate locum.
Hinc etiam lapides, hydropes, atque podagras,
Indigenas patriæ conſtituêre ſuæ.
Fæcibus exundat muſtum, dat flatibus ortum,
Et comites lapidem, tormina ventris habet.
Impedit urinam muſtum, ſolvit citò ventrem,
Aufert vim ſtomacho, viſceribúsque tonum.
Hæc abſynthites pariter præconia geſtat,
Nam vitium muſti corrigit herba parùm.
Aſt ubi cum muſto bene fermentabitur herba,
Vinum abſynthiacum ſanius indè bibes.
Perſica cum muſto vobis datur ordine juſto
Sumere, ſed modicum, nè cupiant medicum.
Verùm an lymphatum vel purum ſumere vinum
Conveniat, Medicis ſæpè problema fuit.
Verior à multis ſententia prima tenetur,
Hinc ſua conſueto carmine ſenſa ferunt:

In cratere meo Thetys est conjuncta Lyæo,
Est Dea juncta Deo, sed Dea major eô.
Reclamant alii, præfatáque verba refutant,
Et mera subnexis esse bibenda probant:
Numina confundis, qui vinum diluis undis,
Impermixta colo, dum sinè fonte volo.
Taliter interea dispar sententia nobis
Ad sanam praxim concilianda manet.
Qui condimenti bibit, aut medicaminis instar,
Hic præ lymphatis integra vina bibat.
At qui vina bibis communis nomine potûs,
Mixtâ, aut alternâ sumere præstat aquâ;
Nam diluta tibi servant rationis honorem,
Ebrius efficeris si mera vina bibis.
Languenti stomacho sunt vina potentia pestis,
Hoc magìs enervant, quò magìs illa fluunt.
Præstat aquâ molli truculentum frangere vinum,
Quam simul ejusdem lambere virus atrox.
Vinum igitur nè te frangat, tu frangito vinum,
Et liquido insanum fuste lavato caput.
At pudor! interea vinum abs ratione bibendo,
Mergitur in vino cum ratione salus.
Constat, ùt excæcet totum gula perfida mundum,
Et neque perdoctis parcat iniqua viris.
Arce sedet Bacchus, friget contemptus Apollo,
Ac nihil est aliud vivere, quàm bibere!
Hinc crebrò ante diem juvenilia corpora putrent,
Quæ vinum ad stygias præcipitavit aquas.
Ense cadunt multi, perimit sed crapula plures,
Sic vitæ gravido palmite vitis obest!
Ut minùs ægrotes, cave grandia pocula potes,
Quò minùs ebiberis, rariùs æger eris.

Si

Si nocturna tibi nocuit potatio vini,
Manè bibas modicum, tunc medicamen erit.
Nemo cremata bibat, nisì corporis humidioris,
Et qui consuevit, quippe nocere solent.
Dant quoque vinosos pyra, poma, cydonia potus,
Dum vires sociant fructus, & unda suos.
Copulat hydromeli virtutem mellis, & undæ,
Cûi purgans renum vis specialis inest.
Attamen hystericis ventris creat hócce tumultus,
Ac hypochondriacis, quos caruisse juvat.
Et fermentando quia dicti spiritualcunt
Potus, nè noceant ebrietate, cave!
Et quod de vini sano moderamine dixi,
De paribus dictum potibus esto tibi.
Sit tibi Religio glaciatum sumere potum,
Quem colicum sequitur (plura tacendo) malum.
Paucula de calidis tandem tibi potibus addam,
Quam tulit in nostram gens aliena plagam.
Viscida dissolvit Caffeé, pigra lotia pellit,
Suscitat, & vigiles absque labore facit.
Hinc cephalalgiæ viscosæ, coma, catarrhi,
Ebrietas, colicus pellitur hócce dolor.
Digerit & crudam stomachis languentibus escam,
Plùs juvat à pastu, quàm juvat ante cibos.
Plùs quoque Phlegmaticis, & laxo corpore obesis,
Quàm calidis, macris, mobilibúsque quadrat.
Thée lapides pellit, podagras, nimiósque sopores,
Ac hypochondriacos, comaticósque juvat.
Insimul adstringit, si longiùs igne coquatur,
Excessu bibitum membra tremore quatit.

Si Thea nonnullis fortaſſe exotica deſit,
Officiô noſtri fungitur herba ſoli.
In capitis vitiis betonica, rósque marinus
Salvia ſupplebit, fæniculúmque vices.
Pectoris in morbis veronica, ſemen aniſi,
Salvia, & Eryſimus munera dicta geret.
Laxato ſtomacho potum dat mentha calentem,
Hedera terreſtris renibus apta manet.
A milleſolio fundentes ſæpè cruorem,
Ac hypochondriaci dulce levamen habent.
Dum cutis immunda eſt, fumaria pota repurgat,
In colicis fructum fert chamomilla ſuum.
Trifolium læſis ſcurbutô infunde fibrinum,
Menſibus obſtructis ferto meliſſa Theam.
Sed chocolata nutrit, ſeménque accendit, & auget,
Hinc Veneris vires amplificando valet.
Eſt hypochondriacis, ſenibus, gravidísque ſalubris,
Robore debilibus, tabe, labore macris.
At quibus ob pigram pingueſcunt corpora vitam,
Accenſis oleum dat chocolata focis.
Fercula propoſui, tempus, modus, ordo, ſuperſtes,
Quo cibus & potus, ſit capiendus erit.
Servent quotidiè ſolitum tua prandia tempus,
Quod circa mediam convenit eſſe diem.
Tum tibi completum fas eſt aſſumere paſtum,
Cûi ſtomachum noſces, ut ferat, eſſe parem.
Sex, ſeptémve horis differ poſt prandia cœnam,
Ut ſit cocta prior dum datur eſca nova.
Attamen ut noſcas, an ſit digeſta ciborum
Portio ſumpta priùs, mox tibi ſigna dabo.

Quan-

Quando vacat stomachus, subtilis in ore saliva est,
Lotia tincta fluunt, & monet ipsa fames.
aniùs est aliquam, quàm nullam sumere cœnam,
Ista tamen prandiîs parcior esse decet.
x magna cœna stomacho fit maxima pœna,
Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.
'ræcipuè studiis, quò cras petis aptior esse;
Hoc victûs hodie vespere sume minus.
Nam cœnâ oppletos virtus fugit inclyta ventres,
Lascivásque odit docta Minerva gulas.
is igitur sumpsisse cibos satìs omnibus esto,
Quos consuetudo non aliena docet.
Iinc tamen infantes licèt excepisse senésque,
Nam comedunt dicti sæpiùs, atque minus.
'emporibus Veris modicum prandere juberis,
Autumnus mediam poscit edendo viam.
ed calor Æstatis dapibus nocet immoderatis,
Plùs dapium quæret, nec malè bruma feret.
'orrò cibus liquidus tibi fiat in ordine primus,
Qualem pro patrio juscula more ferunt.
'roximus his esto cibus, ùt caro bubula, firmus,
Huic etenim stomachus tunc satìs aptus erit.
His succedat olus, tandem assatura sequatur,
Ultimô acetarium mos tulit esse locô.
Non simul atque semel multum post prandia potes,
Sed fluat alternis potio parca cibis.
nter prandendum tibi sæpè, parúmque bibendum,
Displicet hísce salus, queîs placet Ordo malus.
Quod glutire voles bene dentibus esto minutum,
Nam fit in ore tuo coctio prima cibi,

Quód-

Quódque hic negligitur, porrò ſupplebitur ægrè,
Sed luet errorem coctio quæque ſequens.
Frigida nè potes, ubi coctio ſumma vigebit,
Nè turbes ſtomachi chylificantis opus.
Ut vites pœnam, de potibus incipe cœnam,
Sed præſtat potûs jura ſubire vices.
Non tibi ſit vanum finitâ ſurgere mensâ,
Et teſtudineo membra movere gradu.
Poſt cœnam ſtabis, vel paſſus mille meabis,
Per curſum, & requiem corruis ante diem.
Lotio poſt menſam tibi confert munera bina,
Mundificat palmas, Lumina pura tenet.
Deſino plura loqui, linquo tibi cætera Lector!
Natura & ratio te ſatis iſta docent.
Rerum Regina eſt ratio, naturáque mater,
Nam natura parit res, ratióque regit.
Natura ingenuit rationem provida nobis
Ejus ut utamur cum ratione bonis.

CAPUT IV.

De Motu & Quiete.

NUnc canet & motum, canet & mea Muſa quietem,
Quatenùs ad ſanum corpus utrumque facit.
Senſus ſunt motus, eſt corporis actio motus,
Ac animi, motus quin tua vita merus.
Si vita eſt motus, tu motum motibus adde,
Durabit motus, ſeû tua vita diu.

Motus

Motus circuitum liquidorum corporis auget,
  Et benè diſtribui ſumpta alimenta facit.
Viſcera confortat, reſerat, tenuátque liquorem,
  Ac ità ſpirituum materiale parat.
Excernenda juvat, ſudoribus oſtia pandit,
  Tum fovet innatus viſcera pura calor.
Non tamen una datur motûs ſpeciésque, gradúsque,
  E quibus & varius fructus habendus erit.
Frictio prima mihi eſt ſpecies, ac infima motûs,
  Apta, ubi ſe patiens ipſe movere nequit.
Iſta ſoporoſis confert, fit liber abindè
  Circulus humorum, pervia pellis hiat.
Sic levis eſt motus perrectio ſede rotali,
  Admonet hæc motûs languida membra ſui.
Huc translatitiâ ſpectat geſtatio ſellâ,
  Eſt quoque motandi corpora lene genus.
Sed geſtare manu, cuniſque agitare tenellos
  Mos tulit, ut ſomnus pelliciatur iis.
Pertinet huc navi tranquilla vectio, quamvis
  Inſuetis turbet cuncta rotando caput.
Sed commune magis genus eſt progreſſio motûs,
  Qua ſibi quis placitas ítque redítque vias.
Conducet magè ſi patulâ quis obambulet aurâ,
  Spirituum reparat mobilis aura penum.
Hoc exercitium poterit vel abindè placere,
  Quòd facilè intendi, diminuive queat.
Major in hoc gradus eſt curſus, quem ſudor & æſtus
  Excipit, & corpus debile ſæpè nimis.
Huc quoq; pyramidum luſus referatur: hic artus
  Tangit præcipuè, & ventris utrumque latus.

Per-

Percuſſus, jactúsque pilæ puerilibus annis
  Convenit, ac agiles cuncta movendo facit.
Fortiter exercet corpus juvenile palæſtra,
  Artus in ſpecie fortificare valet.
Viſcera concutiunt ſaltus, celerésque choreæ,
  Cuncta è corporibus rejicienda movent.
Queîs hæmorrhoides, vel arena in renibus hæret,
  His moderata fugat ſæpè chorea malum.
Sed non vulgares confert equitatio fructus,
  Hæc etenim quaſſat viſcera mille modis.
Dum ſinè ſpiritibus repunt per vaſa liquores,
  Excitat hic motus, ſpiritibúsque replet.
Si tibi vappeſcens renuat nutrimina ſanguis,
  Fac equita phtiſis deſinet, atque macor.
Si flatus, groſsíque replent hypochondria ſucci,
  His bene ſolvendis par equitatus erit.
Si dolor impactus conſtanter viſcera torquét,
  Ut colicus, pelles hunc equitando foras.
Commodior tamen eſt equitatu vectio curru,
  Et ſolùm differt indè minore gradu.
Hinc qui vel nequeunt, vel quos equitare pigeret,
  Hi curru junctis indè vehantur equis.
Venandi ſtudium patuli fert aëris uſum,
  Mentem lætificat, languida membra movet.
Pectora dilatant cantus, ſermóque ſonorus
  Exhilarat cordis vivificando tonum.
Sed nè quid nimiùm! quid enim juvat addere motum
  His, ubi jam motus ſat, nimiúmque vigent?
Tales picrocholos reputo, juvenésque calentes,
  Et quibus à tenui membra liquore macent.

Membro-

Membrorum nimios ſequitur laſſatio motus,
  Humorum acredo, ſpirituúmque fuga.
Motus ab his abſit, durus quos calculus angit,
  Quos febris, aut fluxus ſanguinis ullus habet.
Temperies igitur ſubjecti membra moventis,
  Et conſuetudo perſpicienda probè.
Non ſubitò ad magnos tranſito quiete relicta
  Motus, ſed lento commoveare gradu.
Manè ſub aurora non ſummi Solis ad æſtum,
  Nec modò glutitis membra moveto cibis.
Ac ubi vaſa tument, corpus calet, atque fatiſcit,
  Et mador erumpit, motibus eſto modus.
Non te frigoribus ſubitis expone calentem,
  Nec bibe poſt motum, nec citò ſume cibum.
Frictio poſt motum, deterſio, tenſio prodeſt,
  Unctióque inſtaurans, & moderata quies.
Sed quid amabo quies? hæc eſt ceſſatio motûs,
  Concoquit, & frænô ſpirituoſa tenet.
Quod caret alterna requie durabile non eſt,
  Hæc reparat vires, feſſáque membra levat;
Hæc magìs à paſtu, noctúque, & Sole calente,
  Picrocholis ſenibus convenit atque macris.
At curſum liquidi tardat, fæcéſque moratur,
  Ac hebetat ſenſus immoderata quies.
Cernis ùt ignavum corrumpant otia corpus,
  Ut vitium capiunt, nî moveantur, aquæ.
Ut labor obfirmat corpus, retinétque juventam,
  Præcoces faciunt otia pigra ſenes.
Dum mihi de motu res eſt, affectio ſenſûm;
  Quæ motûs ſpecies eſt, memoranda manet:
Tangit enim quemvis ſpecialis motio ſenſum,
  Párſque ferit corpus, párſquè medetur ei.

Sic visum recreant viridi dotata colore,
  Exhilarant animum, tristitiámque fugant.
Hunc ruber & albus lædit, radiique micantes,
  Dicitur ad rabiem sollicitare ruber.
Hæc oculis multùm pulvis, sol, fumus, & æstus,
  Risus, cum fletu, vina, Venúsque nocent.
Atria nè mandes, nec quæ sint plena vaporum,
  Nec cepas, lentes, allia, porra, fabas.
Insuper & læsos oculos spectare vetantur,
  Si damus antiquis pondus inesse metris.
Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi,
  Multáque corporibus transitione nocent.
Sic aures hebetat tormenti explosio fortis,
  Et nimiùm feriens organa nostra sonus.
At tonus auditum, mentémque oblectat amœnus,
  Quô titulô laudem Musica jure capit.
Musica non una est, nec fructum gignit eundem,
  Nec quod fortis agit, Musica blanda potest.
Dulcisonæ locus est citharæ, aut testudinis arti,
  In quibus affectu est mens agitata nimis.
Ast ubi torpescunt animi, mœrórque, timórque
  Insidet, exhilarant tympana juncta tubis.
Ac licèt haud deceat nimiùm studuisse sapori,
  Sæpè tamen verum est, quod sapit, hócce nutrit.
Quid cuivis sapiat nostrum disquirere non est,
  Hoc de se meliùs quilibet ipse sciet.
Hinc disceptandum non est de gustibus, ajo,
  Dissipit hoc aliis, quod mihi fortè sapit.
Afficiunt aliqui gustum fumando tabacam,
  Deliciásque parit captus ab ore vapor.
Non epulis tantùm, non Bacchi pascimur usu,
  Pascimur & fumis, ingeniosa gula est.

At

At quoniam crebram removent ex ore ſalivam,
Phlegmatici poterunt appropriare ſibi.
Sic & odoratus quid amet, quid ferre recuſet,
Judicium fieri vix generale poteſt ?
Hic violas, petit ille roſas, is lilia poſcit,
Quæ fortaſſe alii vix tolerare queunt.
Rariùs hyſtericæ moſchum patiuntur, & ambram,
Sæpiùs his fiunt fœtida gratus odor.
Hinc ubi ſe mulier tibi ſiſtit odore juvandam,
Primum eſt, ut quæras, quid tolerare queat?
Commodus hic locus eſt breviter meminiſſe tabacæ,
Vix etenim ſenſus crebrior hócce datur.
Hæc abavis olim medicos ſervivit ad uſus,
Nunc fit ob exceſſum quotidiana dapes.
Excipiunt crebras nimiùm faſtidia menſas,
Mirum eſt, hunc ſequitur nauſea nulla cibum!
Concupit imò magìs, qui ſæpiùs accipit illam,
Plùs veluti potæ plùs ſitiuntur aquæ.
Phlegmata purgandi fuit hæc aliquando medela,
Nunc capiunt, veluti ſi panacæa foret.
Conſuetudo mali naturam induta videtur,
Si minùs hanc pellas, eſt moderanda tamen.
Sumere quam cupies ſub groſſo pulvere ſumas,
Non nimiùm fortem, nec cape ſæpè nimìs.
Sperne nimìs tenuem, quippe hæc penetralia naſi
Altiùs ingreditur, gutturáque ipſa ſubit.
Phlegmaticis, lentis meliùs conducet, & udis,
Quàm ſiccis, & qui bile volante calent.
Et Raſpata licèt petat, ac Hiſpana coronam,
Regia Sceptra tamen Braſſiliana tenet.

Mollia demulcent tactum, lædúntque dolores,
Mollem, & fœmineum dedecet esse virum.
Si dolor est nimius, fac causam tolle doloris,
Cedet, si fuerit causa fugata, dolor.
De reliquo quævis vehemens sensatio sensum
Lædit, & hinc medium qui tenuêre, valent.

CAPUT V.

De Somno, & Vigiliis.

SOmne, quies rerum, mediator amice dierum,
Sermo mihi tecum nunc faciendus erit.
Pax animi, quem cura fugit, tu corpora duris
Fessa ministeriis, atque labore levas.
Tu vires reparas, aliísque laboribus aptas
Quæque dies perdit, spirituosa refers.
Circuitum liquidi pacas, nimiósque refrænas
Motus, & meliùs membra quieta nutris.
Te sinè nemo valet, sinè te fit vita molesta,
Tristitia, & mœror te fugit, atque dolor.
Sed quatuor de te quæri mihi posse videntur:
Quando? quóque loco? quomodo? quámque diu?
Si me quando, rogas, deceat dormire? repono:
Nox est pro somnô, pro vigilando dies.
Sæpiùs hinc miror cacoëthen Nobilitatis,
Quæ vigilat noctu, manè sopita jacet.
Sperno die medio somnum; febris indè, catarrhus,
Atque dolor capitis, pigritiésque venit.

Sit brevis, aut nullus tibi ſomnus meridianus,
Eſt vetus, & medicæ regula ſana ſcholæ,
Qui tamen aſſuevit, renuítque relinquere morem,
Tutior in ſella eſt, quàm recubando ſopor.
Sit locus obſcurus ſomno, liberque tumultu,
Quem fugiat radiis Cynthia, Sólque ſuis!
Aëre ſit plenus purô; procul indè vapores,
Humiditas, frigus ſit, nimiúsque calor.
Non malè reſtinctæ candelæ ſemina mortis,
Nec carbo, aut paries calce recente ferant.
Quot facit his armis, qui decubuêre valentes,
Extremum ſomni frater obire diem.
Si me porrò rogas, capiendus quomodo ſomnus?
Tum mihi decubitûs forma docenda venit:
In latus alterutrum, dum vis dormire, recumbas,
Præ reliquis etenim commodus iſte ſitus.
Sollicitè ſtudeas cubitum vitare ſupinum,
Polluit hic corpus, damnáque multa parit.
Somnum nemo videt, nisì qui ſua lumina claudit,
Si dormire cupis, lumina clauſa tene!
Præterea Zephyri, ſtrepitánsq; ſuſurrus aquarum,
Allicit ad ſomnum, & Muſica, ménsque vacans.
Si, quæ conveniat ſomni duratio, quæris?
Hoc vetus interea ſit cynoſura tibi:
Septem horis dormiſſe ſat eſt juveníque, ſeníque,
Nec generale tibi quis dare dogma poteſt.
Si citò ſumpta coquis, nec multùm membra fatigas,
Aut animum, brevior ſat tibi ſomnus erit.

Si ſtudiis oneras animum, corpúsque labore,
Sumptáque ſerò coquis, longior eſto ſopor.
Hic quoq; non minùs eſt medium tenuiſſe beatum,
Cùm facilè extremum cedat utrumque malè.
Lotia tincta probè, rediens vigilantia ſponte
Indicium ſomni ſufficientis erunt.
Tum quoque mens alacris, corpúsque, carentia ructûs,
Síque manet ſomni nulla cupido ſuper.
Qui nimiùm dormit, caput huîc, & membra graveſcunt,
Fitque veternoſis janua panſa malis.
Somnúsque excedens eadem, majoráque profert
Damna, ac ferre poteſt immoderata quies.
Si nihil eſt ſomnus gelidæ nisì mortis imago,
Quò plus dormitur, vivitur hócce minùs.
At vigilare nimis pariter tolerabile non eſt,
Diſſipat hoc vires, ſpirituúmque penum.
Attenuant juvenum vigilatæ corpora noctes,
Et ſiccando juvant promptiùs eſſe ſenes.
Hinc ſequitur torpor, ſuccorum coctio ceſſat,
Aptáque mens operi deſinit eſſe ſuo.
Intenſus nimiùm tandem diffringitur arcus,
Sic exercitio vis aliquando perit.
Hinc Sapientis erit vigilare, vacare labori,
Sic nè ad venturum fiat ineptus opus.

CAPUT VI.

De Excretis & Retentis.

EXcrementa tuo ſi juſto è corpore cedant
  Ordine, pura manent viſcera, ménsque viget.
Si retinenda fluunt, aut excernenda tenentur,
  Eſt vitium, & morbus fiet abindè tibi.
Hinc cave, nè retrahas adeò de corpore mentem,
  Corporis ut munus negligat ipſa ſui.
Nec ſolitas tardent peragenda negotia fæces,
  Præcedat reliquum cura ſalutis opus.
Non mictum retine, nec comprime fortiter anum,
  Quæ modò ſponte tenes, pigra deinde fluent.
Quæſtio quintuplex circa excrementa movetur:
  Quid, quantum, quale, & quomodo, quando fluat?
Corpore completo ſimul omnes pondere fæces
  Omnibus aſſumptis convenit eſſe pares.
At quæ forma, modus, tempus, ſubſtantia fæcum
  Sit naturalis? ſat cuicunque patet.
Quomodò deflectant à more, & quomodo lædant,
  In ſpecie paulò nunc reputare libet:
Si cruor, aut ſolidæ manet ſubſtantia partis,
  De quocunque loco, cedit ubique malè.
Excipe ſanguineum, muliebria menſtrua, fluxum,
  Nam pro natura fluxus hic eſſe ſolet.
Sic hæmorrhoides fundunt aliquando cruorem,
  Nec, niſi ſit nimius, provenit indè malum.

At ſi deficiant ſoliti, ſaníque fluores,
  Maxima morborum pullulat indè cohors.
Nempè Cachexias, hydropes, tormina ventris,
  Aſthmata, vel ſcirrhos dicta retenta creant.
Aut apoplexias, ſpasmos, variósque dolores,
  Aut hypochondrias, hyſtericúmque malum.
Defectum reparare potes tenuando cruorem,
  Per potus calidos, téque movendo ſatis.
Dispeptos, acidósque cibos, & frigora potûs,
  Otia, mœrorem, triſtitiámque fuge.
Si fuerint nimii fluxus fit proximus hydrops,
  Atque cachexiæ, mors aliquando ſubeſt.
Hæc ut prævenias, tenuem denſato cruorem,
  Tempera, & à motu quoque caveto tibi.
Síque doloroſus ſit fluxus, jura crocata,
  Aut millefolii ſume, levamen erunt.
Sæpè bonum pueris, ſi manent ſanguine nares,
  Nec fluor arcendus, ſed moderandus erit.
Si corpus cruciet peregrinum, & inutile pondo,
  Ut lapis, aut aliud par, retinere nocet.
Hinc aliquos relevat motus, patientia plures,
  Sæpè juvat ferrum, mors, medicina parùm.
Si te mordentes remanent in corpore vermes,
  Pravum eſt, ſumpta tamen vermis amara fugit.
Qui duris, paucis, & rarò liberat alvum
  Fæcibus, hic patitur, nec benè ſanus erit.
Quippe remiſcentur fæces, fædántque cruorem,
  Sæpè hypochondriacum naſcitur indè malum.
Debitus hic motus, decoctáque pruna juvabunt,
  Multus aquæ potus, juſcula ſæpè data.
Mœror, vita ſedens, & vini ſpiritus abſit,
  Et gula viſcoſi, duri, acidíque cibi.

Dum

Dum fluida, & crebra eſt, fœténsque excretio ventris,
  Non ſemper metuas indè perîcla mali.
Sæpè ſalutare eſt aliquot fluxiſſe diebus,
  Dummodò ſtent vires integritate ſua.
Si tamen excedant ſedes, moderare medelis;
  Non citò ſtringe, ſecùs claudet ovile lupum.
Inteſtina tibi macra jura abſtergere poſſunt,
  Stringere te tandem meſpila, ſorba valent.
Fermentans, laxánsque cibus procul abſit, & ira,
  Utere balſamicis, fácque madere cutim.
Rariùs excedens urinæ copia peccat,
  Defectus medicam ſæpè requirit opem.
Defectum ſequitur (ſudor niſì ſuppleat) hydrops,
  Atque cachexiæ, rheumata, ſæpè lapis.
Si tibi viſciditas urinæ præpedit amnem,
  Præcipuè raphanum proderit eſſe tibi.
De reliquo aſparagus, cepæ, vel petroſelinum,
  Perſica cum fragis lotia tarda movent.
Corporis hæc motus, & aquoſi ſumptio potûs,
  Bacca cynorrhodi, juniperíque juvant.
Exulet interea turbatus fæcibus hauſtus,
  Caſeus, & noti viſciditate cibi.
Si reddas tenuem, paucámque, nec absque dolore
  Urinam, altheæ juſcula ſorpta levant.
At ſudor nimius, nocturnus, fœtidus, acris
  Indicium tabis cuncta liquantis agit.
Súntque gelatinæ calefacti potio lactis,
  Juſcula cancrorum magna medela malo.
Dum ſolitus ſudor, vel tranſpiratio ceſſat,
  Rheuma, diarrhæam procreat, atque febres.

Hæc revocare potes calidè tua membra fricando,
Sorbillando theam, membra fovendo bene.
Si ſalſa, aut acris te reddat lacryma lippum,
Nè lippus maneas, hoc citò tolle malum!
Juribus incraſſa lympham, fac ut fluat alvus,
Acria devites, & vigilare cave.
Si remanet naſi fluxus, caput indè gravatur,
Et dolet; at removet ſumpta tabaca malum.
Rariùs excedit rejectus pondere mucus,
Præſtat abire magìs, quàm remanere lutum.
Si malè mucus olet, laudatam ſume tabacam,
Hæc polychreſta tibi fiet in hìsce malis.
Sæpè aufert multum de pectore phlegma catarrhus,
Quod natura facit, nemo retractet opus.
Purgat nonnullas albo natura fluore,
Qui temerè tentat ſiſtere, damna parat.
Ultima ſe nobis excretio ſeminis offert,
Hac ſuper utiliter quinque monenda reor:
Fiat legitimè, non ſæpè, virilibus annis,
Corpore non ægrô, mente vacante malô.
Poſteritatis enim turpe eſt meminiſſe, priusquam
Ætas perficiat corpus adulta tuum.
Nunquid planta priùs generandis ſemina plantis
Offeret, ac flores explicet ipſa ſuos?
Hæc adimit nimiùm vires excretio: quare
Viribus infirmis convenit illa minùs.
Crebra Venus nervos, animum, vim, lumina, corpus
Debilitat, mollit, ſurripit, orbat, edit.
Si renum cupis incolumem ſervare ſalutem,
Sirenum cantus effuge, tutus eris.

Nec

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
  Unô namque modô, vina, Venúsque nocent.
Ut Venus enervat vires, ſic copia Bacchi
  Et tentat greſſus, debilitátque pedes.
Multos cœcus amor cogit ſecreta fateri,
  Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum ſæpe parit ferus exitiale cupido,
  Sæpè manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Vina ſitim ſedent: natis Venus alma creandis
  Serviat; hos fines tranſiliiſſe nocet.
Per ſcabiem, tineas non rarò interna juvantur
  Viſcera, non igitur tale repelle malum.
Hactenus edocui, quà ſe natura repurget,
  Naturæ greſſus ars imitando terit.
Qualiter evacuet varios ars noſtra liquores,
  Et quali fructu, nunc trutinare libet.
Cùm ſeſe accumulent hyemali tempore ſucci,
  Tempore Vernali phlebotomia viget.
Copia, vel motus, denſatio, fluxus, & æſtus
  Sanguinis, aut phlegmon phlebotomare jubent.
Confirmant ætas mediocris, lauta diæta,
  Stánsque fluor ſolitus, temperiésque calens.
Ut breviter dicam, quos, non addendo colorem,
  Uſus corporibus phlebotomia ferat:
Imminuit, tenuat, refrigerat, atque revellit,
  Rarefacit, reſerat, circuitúmque juvat.
Exhilarat triſtes, iratos placat, amantes
  Nè ſint amentes phlebotomia facit.
Phlebotomare vetant, infantia prima, ſenectus,
  Frigida temperies, debilitásque gravis.
Morbi complures chronici, nimiique fluores,
  Factáque morborum, vel facienda criſis.

Quam

Quam poſt phlebotomen liceat ſervare diætam,
Erudient verſus octo per octo dies.
Primâ cœna die ſit miſſo ſanguine parca,
Lux abeat lætis aucta ſecunda modis,
Tertia ſed placidæ debetur tota quieti,
Quarta, & quinta ſibi molliùs eſſe volunt.
Balnea ſexta petit: mox ſeptima colligit auras,
Fértque vagos circum rura, nemúsque pedes.
Octava amplexus dilectæ conjugis, & quæ
Antè fuit, vitam reſtituiſſe ſolet.
At vice phlebotomes inſervit hirudo tenellis,
Atque hæmorrhoidi, quam reſerare voles.
Phlebotomen placidam quoque ſcarificatio ſupplet,
Attrahit, & ſtimulat, leniter evacuat.
Hanc petit externus dolor, aut defluxio: Labes
In cute: debilitas phlebotomare vetans,
Non facilè aſſumas cacoëthen ſcarificandi,
Quò plús ſcarificas, plùs iterare voles.
Jam cacochymiæ propria eſt purgatio ventris,
Vere, ac Autumno quam celebrare ſolent.
Cùm methodum varient ætas, complexio, ſexus,
Conſulat is Medicum, qui vacuare volet.
Sic taceo & methodum corpus ſecùs evacuandi,
Præſentis Medici quippe repoſcit opem.

CAPUT

CAPUT VII.
De Animi Pathematibus.

Corporis eſt animus Rector, qui cuncta gubernat,
Rector ubi bonus eſt, ordo regenda regit.
Hinc ubi mens placido peragit ſua munera motu,
Optimus in motu corporis ordo viget.
At ſi commoveant diverſa pathemata fluctus,
Non benè ſubjecti corporis acta fluunt.
Sunt, quibus appetimus, ſunt & quibus odimus actus
Mentis, qui variè corpora noſtra movent.
Nos prout ad medicos uſus facit unus & alter;
Viſuri quosdam cum brevitate ſumus.
Quis ſcit, quid ſit amor? nisì qui vel amat, vel amavit?
Eſt cum dilecto junctio mente ſuo.
Principium dulce eſt, ſed finis amoris amarus,
Læta venire Venus, triſtis abire ſolet.
Quisquis amas, vires ſpeculando impendis amato;
Totus es alterius deficiendo tibi.
Non ſapit eſca tibi, potum ſuſpiria rumpunt,
Aptus muneribus deſinis eſſe tuis.
Et quamvis moderatus amor vix lædat amantem,
Rara tamen nimìs eſt res moderatus amor.
Unde fit, ut crebrò mens conturbetur amore,
Et meritò amenti conſimiletur amans.
Nec bene tum peragit vitalia munera corpus,
Nec bene jam ſtomachus ſumpta alimenta coquit.

Spes

Spes adipiſcendi tandem ſi fallat amati,
  Longo mœrori ſternitur indè via.
Taliter ægrotant animúsque, & corpus amore,
  Sed rogo, quæ tanti fons, & origo mali?
Otia, menſa, libri, vaga lumina, verba, ſodales,
  Hæc, ut ames, faciunt, dictáque damna ſerunt.
Otia ſi tollas, periêre Cupidinis arcus,
  Contemptæque jacent, & ſinè luce faces.
Parce mero, moderare cibos, & aromata vites,
  Quippe minorato fomite friget amor.
Impediant reliquas condigna negotia cauſas,
  Cedit amor rebus, res age tutus eris.
Eſt & avarities, quæ vilia deperit æra,
  Turpis amor nummi, pejor amore tamen.
Pauper in orbe parùm, mendicus nîl habet usquam,
  Dives habet nimiùm, quis, nisì nemo, ſatis?
Hinc bona ſollicitè paſſim cupit unus, & alter,
  Atque colorato pectora figit humo.
Cúmque amor, & curæ ſociatis viribus adſint,
  Lædit avarities duplicitate mali.
Nîl igitur nummos, nisì tinctam credito terram,
  Diſces theſauros appretiare minùs.
Improviſa quidem ſubitas aliquando tuliſſe
  Mortes ſcribuntur gaudia, rarò tamen.
At licet haud crebrò noceant in corpore; reſtat,
  Nè lædant animum gaudia vana, metus.
Gaudia titillant evanida, poſteà mordent,
  Aſpidis in morem denique corda necant.
Vita voluptatis brevis eſt, vitæque voluptas,
  Qui pariter parvi pendet utramque, ſapit.
Spes de concepta nutrit bonitate futura
  Gaudia, nec factum ſcitur abindè malum.

Aſt

Aſt nè fruſtratam ſpem deſperatio forſan
Excipiat, non ſit ſpes tibi firma nimìs.
Ira brevis furor eſt, quâ mens ratione relictâ
Vindex offenſæ concupit eſſe ſuæ.
His extrema tremunt, properant ſuſpiria, pulſus:
Fluctuat ambiguum cor, faciésque rubet.
Ora madent ſpumis, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina gorgoneo ſæviùs angue micant.
Multùm deliras, diras qui ſurgis in iras,
Irâ delirum dedecet eſſe virum.
Sit brevis ira licèt, non expedit eſſe furorem,
At quoniam furor eſt, expedit eſſe brevem.
Nulla poteſt tantis bene cedere functio turbis,
Eſt è converſo damna neceſſe pati.
Icterus indè ſolet, fluor alvi, tormina ventris,
Aut epilepſia, aut ſæva mania ſequi.
Iram ut prævenias, animum patientia firmet,
Nè cuivis verbo fulmen ineſſe putet.
Síque malum tuleris, virtus te heroa beabit,
Ut profert teneras aſpera ſpina roſas.
Pharmaca poſt iram purgantia ſumere noli,
Nec medicamentum, quod violenter agit.
At quæ temperie novit ſedare tumultum,
Et vitium motûs, hæc medicina juvat.
Triſtitia, & mœror, curæ, fruſtrata cupido
Infringunt vires corporis, atque tonum.
Viſcera debilitant, fæces procul ordine reddunt,
Et ſomnum breviant, proh, mala tanta fuge!
Nullum crede malum ſuper hanc durabile terram,
Et cave terrenum magnificare bonum.
Utere convivis non triſtibus, utere amicis,
Quos nugæ, & riſus, quos joca ſalſa juvante.
Tange

Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
Dulcisonum reficit tristia corda melos.
Nam nihil humanas tanta dulcedine mentes
Afficit, ac melicæ nobile vocis opus.
Accedant juvenúmque chori, mistæque puellæ
Motus & aura patens, Bacchus, & alma Ceres.
Sperne cibos crassos, vitam solam, atque sedentem,
Pharmaca si capias, spirituosa cape!
Tristis ob alterius bona redditur invidus omnis,
Hinc mala tristitiæ congrua livor habet.
Quos inopinata tangit mali imagine terror,
His, quæ fluxerunt, mox remanere solent.
Pallescit facies, gelidus rigor occupat artus,
Et similis larvæ territus extat homo.
Anxia corda tremunt, pereunt quasi fulmine vires,
Nec desunt subitæ sæpè perîcla necis.
Quam timor instantis contristat imagine damni,
Mens fit ad officium prorsus inepta suum.
Dúmque id, quod metuit, semper meditando revolvit,
Efficit hoc præsens, quod scit abesse malum.
Negligitúrque salus, chronicis fit janua morbis,
Nec cibus appetitur, nec sapit, atque nutrit.
Dúmque modum nescit timidus prævisa cavendi,
Tum sibi carnifices applicat ipse manus.
Sed rogo, quid metuis? cur te mera nomina terrent?
Anne potest animô fortius esse malum?
Est malus interpres rerum timor, omnia fingit
Pessima, quin timidis incutit umbra metum.

Est

Eſt Deus in cœlis, mala qui tenet omnia frænô,
  Nec majora tuis viribus eſſe ſinit.
Peſſima concludit mors ultima linea rerum,
  Non igitur toleres, cùm peritura ſcias?
Non metuis certam, quam ſcis impendere, mortem,
  Quin ſi non infers, ſæpè precaris eam.
Cur igitur tantum mala cætera ferre timeſcis,
  Cùm tamen haud pejus morte venire queat?
At quia ſæpè fovent hypochondria læſa timorem,
  Hinc laxativô viſcera lenta mone,
Erigit effœtos infuſa meliſſa cruores,
  Ac reddunt animos, ſi bona vina bibas.
Atra melancholico regnet ſi in corpore bilis,
  Læta age, læta vide, læta ede, læta bibe!
Eſt amor, atque timor, quod zelotypia vocatur,
  Quâ bona poſſeſſor perdere chara timet.
Anxia ſollicitis hæc rodit pectora curis,
  Eſtque maritatis paſſio crebra nimìs.
Qui, dum proſpiciunt, nè geſtet cornua, fronti,
  Corporis infirmant cætera membra ſui.
Verùm ſi ſcires, quàm ſit fruſtranea cura,
  Deficeret zelus, chare marite, tuus.
Nam ſi centoculum cuſtodem feceris Argum,
  Si mala ſit mulier, cornua certa geres.
Quin aliquando facit zelus magìs eſſe nefandas,
  Atque coloratis plùs ſtuduiſſe dolis.
Præſtat ut ignores ea, quæ prohibere nequires
  Cognita, ſæpè juvat diſſimulare malum.
Uxorem Mœcham qui neſcit vertice cornu
  Unum habet; ille duo, qui ſimulare poteſt.

Qui videt, & patitur, tria portat; quatuor ille,
Qui ducit nitidos in sua tecta procos.
Qui nullo istorum se credit in ordine poni,
Credit & uxori, cornua quinque gerit.
Hinc age tranquillam cures super omnia mentem,
Ac tibi thesauris omnibus esto prior.
Conscia sit recti, nimiæque sit inscia curæ,
Et contenta suis non aliena petat.
Det sua jura Deo, primósque remittat honores,
Atque creaturam nolit amare nimìs.
Imperet in sensus, dijudicet omnia rectè,
Nec locet affectus in peritura suos.
Sit læta, ac hilaris, gravibus quoque libera curis,
Præcipuè somni tempore, itémque cibi.
Corpus amare licet, nec non bona cætera justè,
Attamen his mentem postposuisse cave.
Ipsum te noscas, legi rationis obedi,
Apta te patriæ, temporibúsque tuis.
Esto sub afflictu patiens, humilis sub honore,
Atque in lætitia te moderare tua.
Gaudes divitiis, dispensa largus egenis;
Si frueris paucis, his tamen esto satur.
Sufferat adversam duri patientia sortem,
Noli fortunæ fidere quando favet.
Dum suadet ratio, generosus obito perîclis
Terror, ubi virtus mascula floret, abest.
Ac ità si libeat frænare pathemata mentis,
Ut modò præscripsi, corpore sanus eris.



PARS



PARS II.
MEDICINA PRACTICO-EUPORISTA.

HActenus incolumem docui ſervare ſalutem,
Et documenta dedi, quid lædere, quídque tueri
Corpora noſtra queat ſola ratione diætæ,
Nunc redipiſcendæ tradam præcepta ſalutis,
Quilibet ut morbos, qui mille pericula vitæ
Intentant, facili ſtratagemate vincere poſſit.
Herous labor eſt tot monſtra domare malorum,
Hinc decet heroos heroïs verſibus auſus
Scribere, Pœbe pater, qui percutis, atque mederis,
Cuî manet herbarum ſubjecta potentia, noſtris
Aſpirato metris! & ego medicamina mille
Mille malis ponam. Quod ut æquo tramite cedat,
Progrediar ſummo capitis de vertice plantam
Usque pedis; prodam minitantes funera morbos,
Conſiliúmque dabo, quod mortis tela docebit
Frangere, nec deerit facilis medicina paratu:

Quando vale capiti crines dixêre cadentes,
Calvities remanet pariens opprobria, quippe
Turpe pecus mutilum, turpis finè gramine campus,
Et finè fronde frutex, pariter caput absque capillis
Hanc de formicis lixivia facta fugabunt,
Si caput ablueris, faciéntque recrescere crines.
Quidam sæpè fricant loca denudata capillis,
Contritis cæpis, illósque recrescere dicunt.
Nasturtii succus crines retinere fluentes
Illitus asseritur, dentísque levare dolorem.
Si cupis, ut longo tangat de vertice tractu
Lumbos cæsaries, luna crescente capillos
Scindito, quippe velùt resciffo cuspide rami
Longior exurgit ramus, sic crine refecto
Cæsaries protensa magis, quàm cynthia crescens
Adjuvat haud modicum; nec vanum crede capillos
Decoctis oculis populi, modicáve lavare
Mellis aquâ. Super hæc pinguedine inungere talpæ.
Si tibi compacti, pravóque humore repleti
Crines efforment pendentem à vertice caudam,
Dicitur à patria *plica* jure *Polonica* morbus,
Hanc resecare cave, graviùs nisi lædere velles,
At priùs internè purgato corpore semen
Sume lycopodii, cum tota decoque planta,
Et bibe decoctum, simul & caput ablue, prodest.
Parva licet fuerit, quasdam tamē occulit umbris
Sylva feras, sic & Microcosmi sylva capilli
Multas sæpè fovet pecudes, quæ dente minaci
Insidias Domino ponunt, mordéntque cibatu
De-

Deficiente cutim, corpúsque per omne vagantur,
Atque supercilium, ciliúmque, pilósque sub alis,
Quin loca perreptant ipsi secreta pudori.
Piùs refero: mortem quandoque tulisse leguntur.
Hæ pecudes Græco dicuntur nomine *phtiri*,
Morbus *phtiriasis*: Latium venit à pede nomen
Pediculi; species alia à pede centuplicato
Nomen *centipedum* meruit. Removenda proindè
Morte, fugáve manent animalia perfida, quare
Decocto myrrhæ, aut absinthîi, sive tabacæ,
Aut staphysagriæ loca fac obsessa lavari.
Pulveribus cypriis teneram misceto tabacam,
His insperge caput, fugiéntque insecta saporem.
Vel cape Mercurium, subigas pinguedine porci,
Illinito telam, membris gestato propinquam
Affectis, ità nè tangant medicamina corpus;
Mercurius perimet, quidquid sinè lumine na-
tum est.
Camphora, sive crocus sunt amuleta fugandis
Optima pediculis; sed cautus in omnibus esto!
Ulcus crustosum, siccum, commune tenellis,
Quod caput infestat crines rodendo, cutímque,
Ars nominat *tineam*, non absque labore fugandam,
Hic cave, nè forsan medio stringente repellas,
Quod natura foras pepulit, sed corpus ab intus
Mercurio dulci, aut alio medicamine laxa,
Lignáque consueta, & fumaria cocta bibantur,
Extùs Mercurium vites, coctáque tabacâ
Sperne lavare caput, mala cum symptomata
causent.
Pileolô piceô, aut volsellâ evelle capillos,
Porrò lixivis ægrum caput ablue lymphis;

Frige adipem porci, ſimul & naſturtia trita,
Unge caput, ſic cruſta brevì tibi decidet omnis.
Camphora fit pulvis ferro in candente cremata,
Quo caput inſperge, aut adipi miſceto vetuſtæ,
Et dabit unguentum. Pictorum denique vernix
Laudatur tineis dare linimenta fugandis.

Furfure poſſeſſam purgato corpore calvam
Cocta ſub urinis lappa, atque bryonia mundat

Lactea cruſta favi, quibus & ſociantur *achores*,
Sordida ſunt fluxu, tenerorum propria calvis
Ulcera, & externis ſolùm variantia formis,
Et quoniam radix hìc eſt tollenda malorum,
Nutrix dulcificet ſibi per decocta cruorem
Ligna, quibus rectè poterit fumaria jungi.
Cancrorum lapides, ſinámve in pulvere cretam
Sumat: item comedat conditum ſemen aniſi.
Cúmque rheo factum lambat quandoq; ſyrupum
Infans, aut illum cui dat fumaria vires,
Inſere ceruſſam, mala ſi nimìs humida fiant,
Vel calaminarem lapidem, cretámve, deinde
Althæam urinâ puerorum decoque, & iſto
Ablue decocto capitellum infantis: inunge
Deſuper unguentô, quod vulgò dicitur album,
Camphora cuî poterit citrino cum ſulphure jungi,
Aut adipi ſulphur citrinum miſceto ſuillæ,
Atque citri ſuccum; vel denique frige butyrô
Herbam geranii pro unguento: ſed cave nè fors
Pinguibus excedas, & adhuc magìs ulcera fœdes!

Si *Cephalalgiæ* cauſa eſt vel magna cruoris
Copia, vel motus, bona venæ ſectio prodeſt.
Ac epithema dabunt cum camphora aceta roſarum.

Si

Si venit à ſtomacho multa viſcedine pleno,
Pulvis Birckmanni ſtomachalis, & emeſis illam
Perbene curabit, ſimul & jejunia proſunt,
Et potus Caffée non multùm dulcificatus.
Dum venit à potu vini, fontana bibatur,
Cuî modicum ſucci citri confundere fas eſt.
Si de bile venit, tamarindus lubricet alvum,
Perſica dent nucleos melo, ſive cucurbita ſemen,
Atque papaver, & hæc affuſâ tundito lymphâ,
Ex quibus expreſſis lac, ſive emulſio fiet,
Camphora miſcetor, ſic eſt epithema paratum,
Quod poteris fronti duplicatâ apponere telâ.
Hìc & opem quandoque ſuam pedilavia jungunt,
Queîs ſalicis folia, aut capitella papaveris inſint.
Si dolor obtuſus, ſed tantò longior exſtet,
Succineis pilulis mollitâ crebriùs alvo
Succina, cinnabaris proſunt in pulvere ſumpta.
Mica epithema dabit panis cum ſemine carvi,
Baccis juniperi, juncto ſale ſubdita telæ,
Hæcce rigentur aquâ Reginæ, ſive meliſſæ.
Eſt quoque decoctum lignorum ſæpè ſalubre,
Præcipuè dum lympha ſuâ viſcedine peccat.
Si dolor eſt longus nimiùm *cephalæa* vocatur,
Ut longus dolor eſt, longum medicaminis uſum
Poſtulat, & crebrò mediis obſiſtit iniquè.
Hìc igitur certè generalia pharmaca non ſunt
Omittenda, velut purgantia congrua cauſæ.
Hunc juvat olfactus, fumum crepat ille tabacæ
Nonnullis mirum veſicatoria fructum
Fecère; interdum frontalis ſectio venæ;
Fonticulus; mineralis aquæ modò profuit hauſtus.

Quando caput medium dolet *hemicrania* vocatur,
Cúmque à viſceribus læſis communiter ortum
Derivet morbus, primò bene viſcera mundes
Per mineralis aquæ potus, aliásve medelas,
Quæ laxant, minimósque levant viſcedine ductus.
Juſcula cichorei per plurima tempora ſorbe,
Trifoliúmve theæ ſub forma ſume fibrinum,
Quando dolor capitis ſemper ſtat fixus in una
Parte, malum à forma *Clavus* nominatur, & *Ovum*.
Cúmque ferè ſemper talis ſit origo doloris
Matrix, hinc uterina decet medicamina ferre,
Succina, caſtoreum præſtant, & cætera porrò
Commemoranda mihi, matrici quando medebor.
Si frons, aut capitis vertex tribulatur ab æſtu,
Tempora, frónsque ſimul modicùm quandoque fricetur.
Externè quoties, aut intus inundat aquarum
Flumen molle caput: Medicis *Hydrocephalus* audit.
Ægriús internus cognoſcitur exteriore,
Per ſenſus hebetes, per ſomnos, atque dolores,
Per lacrymas tandem ſeſe quodammodò prodit.
Quod facit ad curam, vix eſt medicabilis ipſis
Hic morbus Medicis, quid jam medicina juvabit
Euporiſta malum? capiti nihilominùs extus
Proficuum chamomilla dabit ſaccum, aut cataplasma
Cochlea cum teſtis propriis contuſa minutè.
Si tua ſollicitet conſtanter lumina ſomnus,
Nec dormire tamen poſſis, verùm vice ſomni
Delirus jaceas, morbus de more vocatur
Coma vigil: calidæ febris eſt ſymptoma frequenter.
Quando tuos oculos ſomni tenet alta cupido,
Con-

Continuò dormis, atque expergiſceris ægrè,
Cùm tamen evigilas, rectè ad quæſita reponis
Hic *ſomnolentum* morbus tibi *Coma* vocatur.
Comate *Carus* adhuc ſomnus ſolet altior eſſe,
Tardiùs evigilat, quamvis clamoribus æger
Sollicitetur, & hic ſopor exterioribus ortum
Adſcribit cauſis: ſic fortis potio vini,
Sic fermentantis muſti, prunæque vapores
Ardentis cari cauſas egiſſe notantur.
Lethargus ſopor eſt adjuncta febre profundus,
A quo vix redit, &, ſi fortè expergefit ictu
Æger, delirat, nullis rationibus aptus.
Si manet æger in hoc poſitu, quo perculit illum
Morbus, & eſt totus rigidus, nec membra movere
Compos, ſed torvus, nec apertis cernit ocellis,
Spiritus, & pulſus ſupereſt, *Catalepſis* habetur.
Si cadit in terram ſubitò ſinè viribus æger,
Oréque ſpumeſcit repleto gutture ſtertit,
Nec ſenſus, nec motus adeſt, ratióque fit exul,
Spiritus, & pulſus durant, minùs integra quamvis,
Dic *Apoplexiam* fatalem nomine morbum,
Hósque ſoporoſos communi nomine morbos
Appellant Medici; ſed quid ratione medelæ?
Primò æger revocandus erit, ſomnúsque fugandus:
Excitat ægrotum lux, clamor, frictio, mutus,
Sternutans medium, & quodvis penetrantis odoris,
(Spiritus hic ammoniaci ſalis optimus audit)
Veſicáſque trahens; clyſteres inſuper acres
Ex aloë, ruta, ſale, cum colocynthide facti.

Frictio plantarum sinapi per semina fiat.
Si cruor exundet, præcedat sectio venæ
Cætera: si stomachus sit visciditate repletus
Mox fiat vomitus: Saturejam decoque vinô,
Atque foveto caput: linguam riget unda melissæ,
Quæ simul internè conducit; spiritus æquè
Ex ammonico sale, sive essentia demum
Castorei, quando cerasorum dantur in unda.
Ægrô experrectô sub forma pulveris adsint
Succina, castoreum, perlæ cum cinnabarinis,
Pulvis cephalicus Michaëlis, moschus, & ambra,
Junctis spiritibus tincturis antè relatis.
Si sopor insequitur febrim, febrisve soporem,
Esto volatilium mediorum cautus in usu,
Præsertim interno, nè febris crescat abindè.
Utque soporosos vites cum tempore morbos
Sumito quotidie sinapi de semine septem
Grana: Theam potes, cui salvia, sive melissa
Substitui poterit, meritóque hic jure vocatur
Salvia salvatrix, naturæ conciliatrix.
Denique lignorum decocta haurire juvabit,
Amuleta dabunt suspensæ apoplectica cepæ.
Si tibi *paralysis* forsan tua membra resolvat,
Præter dicta priùs membrorum confice fotus.
Sæpius illinito serpilli spiritus artus:
Vel cape betonicam, laurum, rorémve marinum
Juniperi baccas, serpillum, junge sclaream,
Sacculus ex istis fiat, vinóque coquatur,
Quo calidè expresso foveantur flaccida membra,
Nec minùs ex dictis confiant balnea plantis,
Queîs formicarum rectè jungetur acervus,
Nec non è regno minerali sulphur, alumen.

Balnea

Balnea de simili fructu vinacea præstant.
Si motum perdant tua membra superstite sensu,
Dicitur hic *paresis* consueto nomine morbus.
Et quas paralysi dixi prodesse medelas,
Huic quoque conducunt; igitur laudabilis usûs
Sunt naturales gaudentes sulphure thermæ,
Vel quoque factitiæ: sic accipe sulphur ab igne
Intactum, & vivam sub eodem pondere calcem,
Decoque cum lympha, sic balnea sana parásti.
Quando quis antè valens subitò quasi retro prehensus
Conciditin terram, motus manuúmque pedúmq;
Exercet varios, vehementer concutit artus,
Constrictâque volâ pollex concluditur, éstque
Mens rationis inops, oculi sinè lege gyrantur,
Vox vel abest, vel fit distortis absona labris,
Horrida fit facies, concussáque spuma per ora
Fortiùs exprimitur, tandem revocatus ab istis
Motibus actorum penitus manet inscius æger,
Et præter lassos artus fit sanus ùt antè,
Usque suos motus commutet luna, phalésque,
Tum redit invitô morbus lunaticus ægrô,
Hanc *Epilepsiam* nomines, *morbúmve caducum.*
Est similis dicto fermè *convulsio* morbo,
Sed non tam vehemens, nec fit concussio tanta
Membrorum, sed nervorum quasi tensio tantùm;
Fit comes alterius morbi persæpè, sed ipsa
Per se vix oritur, tenerósque frequentiùs angit.
Ut primò revoces ægros, essentia confert
Castorei, karabes oleum, tinctura: liquórque
Succineus cornu cervi, similésve medelæ.
His potes externè nares, labra, tempora, carpos
Ungere,

Ungere, & internè moderata tradere doſi
Ex unda florum tiliæ, ſimilíſve tenoris.
Porrò pedis plantas qua vis pinguedine prodeſt
Ungere, ſive oleô, quod dulcis amygdala ſudit.
Cúmque ad ſe rediit patiens, Michaëlis adeſto
Pulvis cephalicus, pulvis, quem Marchio fecit,
Aut artemiſiæ, tiliæve in pulvere carbo,
Aut unicornu, vel pharmaca caſtoreata,
Cinnabarina nihil minùs, & pæonia radix,
Ungula raſa alcis. viſci, corallia, perlæ,
Nec minùs his ægris mulcentia clyſmata proſunt.
Non calefac mediis, quando convulſio febri
Jungitur, at potiùs medicinis utere blandis.
Contra Epilepſiam præter prædicta probatur,
Ut ſumas unum cochlear de Valerianæ
Pulvere quotidie per menſis tempus, & ultrà.
Ante phaſes lunæ corpus laxare juvabit,
Sanguinis & moles ſi peccat, ſectio venæ
Proderit introitu Veris, prævertet eandem
Fonticulus nocuos aliò revocando liquores.
Dantur adhuc aliæ Spasmi ſpeciésque, modique,
Sicut *Opiſthotonos*, *Tetanósque*, *Emproſthotonósque*,
Quæ laudata priùs pariter medicamina poſcunt.
Si curvet digitum *crampus* non absque dolore,
Annulus ex Alcis ſolea geſtando medetur.
Nullum in Teutonia viroſa tarantula pungit,
Hinc neque pro curis opus eſt ſuadere choreas.
Si *Vertigo* caput gyret, ut tibi cuncta putentur
Circumagi, nec ſat videas, nec ſtare quietus
Poſſis, quin titubes, epileptica pharmaca proſunt,
Sic viſci querni lignum, pœonia radix,
Semine fæniculi juncto decocta bibantur.

Contra

Contra *Agrypnias* prodeſt emulſio, pro qua
Perſica ſuppeditant nucleos, cucumiſque, papaver,
Et melo, citrullus, ſimul atque cucurbitâ ſemen;
Ex his contuſis affuſâ emulſio lymphâ
Fiat, cuî purum jungas in pulvere nitrum,
Et cornu cervi, ſic factam veſpere potes.
(Contuſum pueris album cum lacte papaver
Detur: ſi patitur venter, laxantia proſunt)
Servit & externè, capitique epithemata præſtat,
Aſt hic jungatur vice cornu camphora cervi.
Nec minùs unguentô de alabaſtro tempora inunge,
Populeóve: pedes tandem conſueſce lavare
Decocto malvæ, capitúmque papaveris, atque
Deſuper abs curis in lectum membra repone.
Non diverſa ſibi *noctambulo* pharmaca poſcit.
Somni diſpellunt epileptica quæque *pavores*.
Sumpta intrò, ſimul ac ſuſpenſa corallia rubra.
Si latet in ſtomacho fomes, vacuare memento,
Et ſimul infantes nemo terrore diurno
Afficiat; nam quæ vigilantibus obvia mentem
Terrificant, ſomnô redeunt; tum ſæpè figuras
Conſpicuunt miras, ſimulacráque luce carentûm.
Si quis continuo calida cum febre furore
Delirat, nullúsque ſopor deliria ſedat,
Lucida nec dantur media, eſt nominanda *phrenitis*.
Quidquid agrypniæ dixi prodeſſe, phreneſi
Conferet hoc ipſum, poſſuntque ſequentia jungi:
Da diaphoreticum ſtibium, nitrum ſtibiatum,
Ambo ad grana decem, dictis ſex grana jugentur
Cinnabaris, nec non ad binum camphora granum,

Sic fiat pulvis dosi capiendus in unâ,
Desuper, atque aliàs decoctum anagallidis herbæ,
Cuî rubeus flos est, capitúmque papaveris hauri!
Viváque per medium gallina, columba secetur,
Et caput his calidè foveatur, sæpè novando.
Qui sinè febre quidem, sed cum mœrore, metúq;
Delirat, quærítque locum, quo solus, & unus
Esse queat, mentémque suam meditando quietet,
Vix tamen ulla quies superest, sed tristis oberrat
Undique, quem timor, & terror comitatur ubique,
Ille *melancholicum* patitur, mihi credito, *morbum*;
Præcipe clysterem, qui duram molliat alvum,
Porrò seca venam, si copia sanguinis adsit,
Accipe tartareas pilulas ad grana viginti,
Extracti Hellebori nigri jungantur iisdem
Grana decem, & pilulæ dosim formentur in unam.
Viscera quando malum generant infarcta, fovéntque,
Unda Roïtschensis mineralis pota juvabit:
Vel cape cichorei radices, helleniique,
Atque polypodii, Zedoariæ, itémque Galangæ
Herbam cuscutæ, ac anagallidis, atque melissæ,
Linguæ cervinæ, fumariæ, & hypericonis,
Jungantur citri cortex, & semen anisi,
Sacculus ex istis fiat, quem decoque lymphâ,
Cuì post cocturam tantundem affundito vini,
Ex hoc decocto bibat æger sæpè vitrellum.
Si petis ut laxet, jungenda est unica bina
De foliis sennæ, radicisque uncia seminis
Hellebori nigri, stimulum quoque tartarus addat.

Balnea dulcis aquæ miranda levamina præſtant.
Inſuper arcanum duplicatum in pulvere ſumat,
Cui ſub molle pari corallia rubra, canellam
Jungas, & mediam pro doſi tradito drachmam,
Deſuper infuſum calidum præbendo meliſſæ.
Confortare crocum dixerunt exhilarando,
Jura crocata proin triſtis ſibi comparet æger.
Si venit à ſtudiis, curisque hic morbus, eidem
Vinum pannonicum, nec non bona juſcula proſunt.
Non breviet ſomnos, hilaris conſortia menſæ
Quærat, dulce melos triſtem ſimul excitet ægrum.
Amnes inviſat nitidos, jucundáque tempe,
Et placidas ſummis ſectetur montibus auras.
Si quis deliret magno ſinè ſebre ſurore,
Audacique manu cunctos offendat ùt hoſtes,
Proſternat plures ingenti robore pollens,
Vincula disrumpat, morbum nominato *maniam*.
Largior huîc prodeſt, repetitáque ſectio venæ,
Nec minùs & vomitus, purgatióque helleborina
Fortior, atque dein Carolinas viſere thermas.
Vel cape cichorei radicem, anagallidis herbam,
Hypericum: conciſa ſerô bene decoque lactis,
Decoctúmque bibat repetitis hauſtibus æger.
Nec minùs huîc prodeſt emulſio frigida morbo,
Cuî ſubſit nitrum, & ſub paucis camphora granis.
Fiat hyoſciami replendus ſacculus herbâ,
Infusóque croci tinctum ſuppone ſub ægri
Pulvinar capitis, ſomnum revocabit eidem.
Sanguinis ex aſino tinctura, canísque cerebrum
Eſum præcipuè morbo prodeſſe feruntur.

Si

Si quis cum rabie ſpumet, magnóque furore,
Ac omnis liquidi conſtanti horrore, vocandum
Hydrophobia malum. Morbus communiter iſte
Ex morſu pecorum rabidorum provenit; unde
Beſtia ſi quemquam rabioſa momordit, in undas
Ægrum frigentes ſubitò demitte, nec etſi
Multum potet obeſt. In vulnus ſcarificatam
Pone cucurbitulam, poſt hanc imponito trita
Allia cum cepis, & acetô, & melle ſubacta
Subcalidè; internè patienti in pulvere radix
Danda Cynorrhodi, pro doſi pondere drachmæ.
Ac licèt invitus, multam tamen hauriat undam.
Pharmaca non quæras *amentibus*, atque *moroſis*,
Qui paritur fatuus nulla curabitur arte.
Huc *amor inſanus* meritò referendus; at iſte
Eſt animi morbus, potiúsque proinde medendum
Eſt animo, patiénsque poteſt ſatìs ipſe juvare,
Si velit; interea ſi morbum ſeminis æſtus
Cauſet, decocti nymphææ proderit hauſtus.
Adde roſæ florem, minuéntque potenter amorem,
At ferè præ reliquis illum connubia tollunt.
Si tibi *palpebræ* concreſcant tempore noctis,
Aut ſi *pruritus ſcabies* has occupet, iſtos
Lacte calente potes morbos curare fovendo.
Quando perpetuò manantes flumine lippum
Te reddunt lacrymæ, nominatur *Epiphora* morbus:
Fac tibi collyrium quo lumina lippa rigentur,
Accipiatur aquæ velut uncia bina roſarum
Albi vitrioli bene diſſolvantur in illa
Grana decem: ſi vis, modicum ſalis adjice plumbi,
Si tamen obſiſtit fluxus, nec ab hiſce fugatur,
Succi-

Succineis pilulis Cratonis ſolvito ventrem,
Alternis harum ſcrupulum ſumendo diebus,
Non minùs & nuchæ veſicatoria prodeſt
Addere, nam retrahent nocuos ad terga fluores.
Qui, ſi durarent, *lacrymalis fiſtula* forſan
Indè tibi fieret, quæ poſtquàm acredo meatus
Condidit occultos, tandem manifeſta tumore
Prodit ad exortum naſi cum perpete fluxu,
Qui nullis cedit mediis, dextrámque requirit
Chirurgi dubiâ ſecturi ſorte canalem.
Si caleant oculi, rubeant, doleántq;, tumeſcant,
Aëris, & lucis comes impatientia fiat,
Atque vel invitæ lacrymæ ſtillare notentur,
Vel ſumma ariditas, ſolet *Ophtalmia* vocari;
Cúmque ſit hic morbus phlegmone, ſectio venæ,
Atque cucurbitulæ proſunt in terga locatæ.
Porrò lavacra pedum tepidis conſtantia lymphis,
Adjecto ſale communi prodeſſe notantur.
Auriculam Judæ molli plantaginis undâ,
Ac impone oculis, vel aluminis accipe fruſtum,
Albuménque ovi, conquaſſes hócce per illud
In patina, ſic mox unguentum molle paratur;
Paucáque pro libitu jungatur camphora trita,
Cum teláque ſuper clauſos ponatur ocellos.
Dulcia poma juvant in aquis decocta roſarum,
Nec minùs appoſitum fruſtum de carne bovina.
Sacculus & fieri poterit, qui ſtagna reſolvat
Ex chamomillarum, & ſambuci floribus æquo
Pondere conjunctis ſub finæ tegmine telæ.
Sacculus hic tepidè fac irroretur ab unda
Reginæ Ungariæ, ſicque admoveatur ocellis.
Si fiat longus lymphæ ex acredine morbus,

Album vitriolum dulcis commiſce butyri
Sextuplo, & modicum canthis ocularibus inde.
Si dolor excedat, muliebri, ſive bovino
(Cuî crocus addatur) tepefacto lacte foveto!
Quando coloratam tunicam macula alba notabit
Sponte ſua naſcens, morbum *leucoma* vocabis,
Ut medeare malo, tutiâm fac ſæpiùs infles
Cum triplo ſachari. Defert quoque carpio bilem,
Qui delet maculas, quando inſtillatur ocellis,
Quos aqua fœniculi poſt hæc lavet, atque roſarum.
Subveniunt oculis dirâ *caliginê* preſſis
Fœniculum, verbena, roſæ, chelidonia, ruta:
Indè parabis aquam, quæ lumina reddit acuta,
Emendat viſum, ſtomachum confortat aniſum.
Quando luminibus muſcæ obvolitare videntur,
Apparent nebulæ, decreſcit viſio ſenſim,
Eſt oriens *cataracta* malum, cum tempore demum
Pupilla albeſcet, nihilúmque videre licebit.
Hæc ut prævenias, craſſam incidentia lympham
Pharmaca ſumpta juvant, ut radix Valerianæ
Semen fœniculi, folium, vel ſemina rutæ.
(*Nobilis eſt ruta, quia lumina reddit acuta.*)
Mellis aqua externè, ſeu fel quod Lucius offert.
Maturóque malo poſtrema juvamina tandem
Chirurgi promittit acus, ſed plena perìclis.
Si nullo externè vitio apparente videndi
Vis omnis pereat, nominatur *Gutta ſerena.*
Difficilis Medico, & raró medicabilis extat
Morbus, quantumvis aliquando tuliſſe juvamen
Scribantur bibitæ juſto moderamine thermæ.
Interea variè læſuras lumina cauſas
Sedulus evita, quas metra ſequentia pandunt.

Balnea,

Balnea, vina, Venus, ſinapi, piper, allia, fumus,
Porrum cum cepis, faba, lens, ſol, ventus, & ignis,
Sal, coïtus, fletus; labor, ictus, acumina, pulvis,
Iſta nocent oculis, ſed plùs vigilare nocebit.
Purpureas vultûs maculas ſi fecerit ictus
Sanguine congeſto, fit *ſugillatio* vultûs,
Ut citò diſcutias mox alkohol accipe vini,
Atque locum madefac; expreſſa bryonia radix
Si jungat ſuccum, melior diſcuſſio fiet.
Si faciem fœdent ſubdura tubercula *Vari*,
Quæ modò dura manent, nunc indè ulcuſcula fiunt,
Vitrioli ſocies oleum cum melle roſarum,
Unge tuos varos, & deſuper ablue vultum.
Si multis faciem punctis *lentigo* notârit,
Sumatur radix Salomonis dicta ſigillum,
Atque ſuper pictam faciem contuſa ligetur,
Vel ſemen ſinapi noctu infundatur aceto,
Manè teratur idem ponendum in punctula vultûs.
Nævos maternos ſi vis delere tenello,
Membra ſecundinis calidis abſterge notata.
Si tibi perpetuo facies perfuſa rubore
Tandem liveſcat, vel plena tubercula pure
Illam poſſideant, quin naſus & ipſe tumeſcat,
Non ſecùs ac juvenes jam longo tempore prægnans
Parturiat naſos: eſt *gutta roſacea* morbus.
Hìc corpus laxare juvat, venámque ſecare,
Si cruor eſt multus, ſpiſſúsque: aliquando lapilli
Cancrorum, lactisve ſerum ſumatur in hauſtum.
Tum ſempervivi ſucco, & plantaginis adde
De ſale Saturni modicum, vultúsque rigetur;

Aut ovi imponas albumen alumine mixtum.
Aſt ubi jam facies ulcuſcula plura recenſet,
Vivæ calcis aquâ vultum quandoque rigabis,
In cujus libra ſolvantur grana viginti
Mercurii ſublimati; ſed lumina vites!
Si cadat ad nares, & gignat rheuma coryzam,
Camphora ſolvenda eſt oleô, quod amygdala fundit,
Queîs intus nares ungas, atque exteriorem
Naſi radicem, qua vis, pinguedine inunge.
Dum fœtent nares, ulcúsque *ozæna* vocatum
Obſidet, attrahito mulſum quandoque caleſcens:
Nec minùs aſſumptam laudant conferre tabacam,
Vel capiatur aquæ majoranæ uncia, per quam
Albi vitrioli circa ſex grana reſolvas,
Qui liquor attractus forſan mala dicta levabit.
Naſalem *polypum* Chirurgi dextera tollet.
Hæmorrhagiam naris dum ſiſtere fas eſt,
Exteriùs naſus crebrò madefiat acetô,
Sed nè plùs noceas, dum vis prodeſſe, caveto.
Quippe ruit ſanguis per vim quandoque retentus
In partes alias multúm nociturus iisdem,
Hinc ſi fors opus eſt, maturè vena ſecetur,
Detur & internè cum nitro emulſio frigens.
Aures ſi feriat *dolor*, *inflammatio*; lactis
Cum chamæmelo cocti placato vapore.
Optat idem medium cruciata dolore *Parotis*.
Ulcera ſi fœdent aures, cum melle roſarum
Urinam pueri miſceto, locúmque lavato.
Id quoque ſiccabit *nimiam* auribus *humiditatem*.
Si faciant vermes *aures* tibi *vermiculares*,
Ablue decoctô myrrhæ, vermésque necabit,

Et ſimul abſterget putrentes ulcera nidos.
Si tibi *ſurdeſcant* aures, aſt absque dolore;
Si ſtrepat aſſiduus *tinnitus*, *ſibilus* intus,
E majore ſedo ſuccus ſtilletur in illas,
Suffitúsve aſari vinô coᶜti excipiatur,
Diſleᶜtì panis neo-piſti immitte vaporem;
Cuî ſint juniperi baccæ cum ſemine carvi
Impiſtæ. Verùm fiunt non raró rebelles
Hi morbi: remoranda proin generalia non ſunt
Pharmaca; ſed pilulas Cratonis veſpere crebrò
Sumito ſuccineas, quibus alvus reſtet aperta.
Attrahe per nares, fumáque per ora tabacam:
Mandito maſtichen, pyrethrum, vel grana cubebas,
Queîs conſtanter in os viſcoſum plegma trahetur
Denique decoᶜtum lignorum largiter hauri,
Quo tua ſolvatur viſcedo, cutísque madeſcat;
Motus, longa fames, vomitus, percuſſio, caſus,
Frigus, & ebrietas tinnitum cauſat in aure,
Hinc ea, quà cauſas omni ratione caveto.
Labrorum laᶜtis ſuperunge cremore *Rhagades*,
Nunc curat *labium leporinum* ſciſſio: ſæpè
Poſt multos remanet fiſſura antiqua dolores.
Oris fœtorem larvabit ſalvia coᶜta,
Os lotura tuum, vel manſi caryophylli,
Attamen interea fœtoris proſpice cauſæ.
Ulcera quæque oris (velut *aphta parulis*, habentur)
Salvia coᶜta lavet. Rubricam deinde fabrorum
In ſpeciem unguenti ſubigas cum melle roſarum.
Vitrioli lenem diᶜtis ſuperaddat acorem
Spiritus affuſus, (*gingivas* porrò *cruentas*,

Atque *vacillantes* curant ea pharmaca *dentes*)
Si vehemens apthas fuerit comitata phlogoſis,
Ægro lambendum violarum trade ſyrupum,
Vel decoctarum raparum ejus vice ſuccum,
In quibus ad modicum ſolvatur camphora, nitrum.
Sume ſedi folium majoris, detrahe pellem
Illius externam: fontis molleſcat in unda,
Et leviter tuſum ſuper ulcera dicta locetur.
Aut etiam ptiſanam lacti incoque chalybeato,
Et crebris vicibus per tempus in ore teneto.
Quod ſi *difficilis* fiat *dentitio* proli,
Illico gingivas dulci de lacte cremore
Ungas, aut oleô, quod dulcis amygdala fudit.
Aut cerebrô leporis tenui cum melle ſubactô.
Ut ſerves nitidos procul à *nigredine* dentes,
Os quodcunque crema, ſilices, concháſve marinas,
Hæc dentifricium juſtè contrita miniſtrant,
Si libet, ad guſtum ſuperaddito caryophyllos.
Si *ſtupor* obſideat dentes, ſale crede fricandos.
Algor ubi dentes, nè poſſint frigora ferre,
Afficit, his vinum juvat affricuiſſe crematum.
Si *doleant dentes*, olfac, fumáve tabacam,
Mandito radicem pyrethri, vel decoque acetô,
Iſtud in ore tene, nocuos trahet undique ſuccos.
Si non ceſſuri caries eſt cauſa doloris,
Aut evelle citò, per fi!áve ferrea adure
Dentem, nec ſpernas generalia pharmaca: ſicut
Eſt laxare alvum, vel de maſtiche paratum
Ponere circa aures emplaſtrum, ſæpè probatum.
Si dolet amiſſam *muteſcens lingua* loquelam,
Spi-

Spiritus ex herba ſerpilli eſt ore tenendus.
Si linguæ *excedat frænum*, linguámque ligando
Verba locuturæ prolis cum tempore frænet,
Mox frænum ſcindas, & inungas melle roſarum.
Dum peregrina caro ſub lingua creſcere prolis
Cernitur in ranæ ſpeciem, venæque tumeſcunt,
Dicitur à ſimili *Batrachus*, vel *Ranula* morbus.
Pulvere zinziberis batrachum quandoque fricato
Cum ſale communi, ſuperungito melle roſarum.
Si quis *balbutit* vix eſt curabilis error,
Aſt exercitium linguæ quàm plurima præſtat.
Quando ſicceſcit, dureſcit lingua, nigreſcit,
Scabra fit, & rimas patitur, *Prunella* vocatur,
Illinito linguam lardô, ſive accipe ſuccum
De ſempervivo majori, jungito nitrum,
Salve ammoniacum, crebróque perungito linguam,
Non temne interea cauſam ſymptomatis hujus.
Guſtatus læſus raphano reparatur ab eſo.
Si *laxata* tuam contingeret *Uvula* linguam,
Zinzibere aut uſto tangatur alumine: ſive
Vincæ pervincæ decoctô ſæpè lavetur.
Si tibi *Tonſillæ tumeſiant*, de meliloto
Emplaſtrum externè juvat applicuiſſe; ſed intùs
Decocti flores ſambuci, & ſalvia, ſálque
Junctum ammoniacum pro gargarismate ſervit.
Si *raucedo* premat collum, ſociabitur herba
Hyſſopi Eryſimo, déque his theiforme paretur
Infuſum, quod melle dein bibe dulcificatum.
Non minùs aronis radix attrita ſalubrem
Suppeditat linctum violarum mixta ſyrupo.
Si tibi prægreſſo rubeant, tumeántque rigore,

Et doleant fauces, gravia ut reſpiria fiant,
Nec poſſis glutire cibos, quin ſæpè perîclum,
Nè ſuffoceris ſubeas : *Angina* vocatur,
Quò citiùs meliùs patienti vena ſecetur,
Sumptâ ſolvatur mannâ, vel clysmate venter,
Pro gargarismo lac ſumito chalybeatum,
Pondere cûi jungas æquo plantaginis undam.
Vel cape ſambuci flores, hos incoque lacti,
Adde crocum, & nitrum, ac his ſuaviter elue fauces,
Vel cape decoctum, ſinapi cum ſemine, mulſum.
Decoquitur quandoque ſalix conjungitur illi
Nitrum, aut ſal ammoniacum, vel ſpiritus hujus,
Aut album græcum, ſic pro diaclyſmate ſervit.
Pone ad colla foris emplaſtrum de meliloto,
Quod priús obducas oleô, quod amygdala fudit,
Vel cataplasma pares, quod nidus hirundinis offert
Incoctus lacti, canis albô ſtercore junctô.
Internéque poros habitûs reſerantia proſunt
Ex cornu cervi, nitro, cum dentibus apri,
Et diaphoretico ſtibio ſub pulvere ſumpta
Ex unda florum ſambuci, ſive galegæ :
Queîs acidus poterit jungi pro more ſyrupus.
Multa bibas tepidè, ſed aquoſa haud ſpirituoſa,
Queîs acidô blandô gratum ſuperadde ſaporem.
Si ſuppurari tumor hic cum tempore tendit,
Sub cinere aſſatas adde in cataplasmata cepas.
Pro gargarismis ptiſanam cum lacte crocato,
Atque glycirrhiza, caricis, & melle parabis.
Abſceſſum maturum opus eſt aperire per artem,
Poſt ulcus mundet prunella, & ſalvia coctæ

Cum

Cum granis hordeî, conjuncto melle roſarum;
Si libet admiſce modicum, quod ſtringat, alumen.
Strumas, & *ſcrophulas* curat ſcrophularia radix
Pulveris in forma data, quando luna ſeneſcit.
Hanc quoque radicem primò ſuſpendere collô
Præcipiunt, & eam ſuſpendere deinde caminô.
Sic ſenſim in collo ſcrophulas marceſcere tradunt,
Non ſecùs ac ſiccat radicem fumus ab igne.
Laudatur multis oleum buffonis ab extra.
Dum *dolor* immitis, *tumor*, *inflammatio mammas*,
Abſceſſúsque tenet, tali ordine dentur aſelli:
Prima dies tres det, quinque altera, tertia ſeptem,
Quarta iterum quinque, & tres quinta in pulvere rurſus.
Exhibet externum cataplasma farina fabarum
Cocta in aqua, modicum cuî confundatur aceti.
Copia ſi lactis mammas tumefecerit, herbam
His chærefolii contuſi, aut petroſelini
Imponas, aut emplaſtrum de ſpermate ceti.
Si tumor eſt durus *ſcirrhus* de more vocatur,
Hunc ſi per medium quoddam diſſolvere fas eſt,
Mox ſuper ignitos lapides fundatur acetum,
Et vapor aſcendens mammis capiatur; iiſque
Deſuper imponas emplaſtrum è ſpermate ceti.
Sed nec tam facile eſt, nec tutum ſolvere, quando
Præcipuè junctus dolor eſt, nam *cancer* abinde
Sæpiùs exoritur nulla curandus ab arte,
Nî forſan dubio patiaris ſcindere fructu.
Ulcera mammarum ſuperunge liquamine myrrhæ.
Quando doloroſum ſenſum *fiſſura papillæ*
Efficit, ungatur poſt ſuctum melle roſarum.
Quando *papilla latet*, vel lacti inaperta videtur,

Hæc ſtatui ſano validè ſugendo refertur.
Si foret ad prolem *lactis defectus* alendam,
Semen fæniculi, & ſambuci decoque flores
Cum lacte, & tradas nutrici ſæpè bibendum.
Conditum ſemen cumini edat, atque nigellæ!
Fluxile dum *nimis* eſt, nec conſiſtentia lacti
Juſta manet. ptiſanas, & juſcula ſumat avenæ
Nutrix, aut alia, in quibus eſt ſubſtantia multa.
Si *lac* ſit *flavum*, *ſalſum*, vel *bile repletum*,
Mater perlarum, ac emulſio frigida prodeſt.
Infantis *gibbus* duro thorace prematur,
Et ſimul ungatur quavis pinguedine, par eſt.
Ad *tuſſim tenuem*, quæ nullum è pectore mucum
Ejicit, eſt oleum, quod dulcis amygdala fundit,
Sunt ptiſanæ craſſæ: ſunt juſcula, quæ dat avena,
Infuſúmque theæ cum lacte, recénsque butyrum
Cum ſacharo mixtum: proſunt quoque jura crocata,
Decoctæ ſiliquæ, caricæ, majórque minórque
Paſſula cum granis hordeî, Venerísque capillô,
Queîs raſura eboris, florésque papaveris addi
Sylveſtris, nec non ſcabioſa, veronica poſſunt.
Si tuſſis craſſo gravis eſt humore, ſyrupum
Eryſimi lambas: capias de ſpermate ceti
Juribus ex calidis: infuſa calentia potes,
Queîs thea materiem dabit, aut veronica, nec non
Iridis Illiricæ radix, ac enulæ, & herbæ
Salvia, & eryſimus, liquiritia, ſemen aniſi.
His benè conciſis ferventem affundito lympham,
Sténtque locô calidô, liquor iſte deinde bibatur
Apprimè calidus, per mel quoque dulcificatus,
Sunt quoque raparum decocta ſalubria tuſſi,

Si

Si ſacharo candi bene dulcificata bibantur.
Succus de cepis coctis expreſſus eandem
Curat; vel ſuccus, raphanus quem fundere ſuevit
Conſperſus ſacharô, patiens ſi lambat eosdem.
Si venit à ſtomacho tuſſis vomitoria proſunt;
Si fuerit vehemens ut vix deſiſtere poſſit,
Qui cæpit tuſſire ſemel, faciésque nigreſcat,
Et ſuffocari patiens videatur: at iſtis
Niſibus aut nihil, aut modicum propellere mucum
Sit compos: *tuſſis* tibi *convulſiva* vocetur.
Huîc muſci querni decoctum conſeret hauſtum.
Et liquor è cornu cervi, carabéque paratus.
Unge pedis plantas lucîi pinguedine piſcis.
Si cadat ad pectus, dicatur rheuma catarrhus.
Rheumata præ cunctis curat moderata diæta,
Eſuriat, ſitiat, caleat, qui rheumata curat.
De reliquo ſemper tenuem curato catarrhum,
Ut tuſſim tenuem, craſsóque medere catarrho,
Ut tuſſi craſſos jacienti è pectore mucos.
Si tibi difficilis cumulatô in pectore mucô
Spiritus attrahitur, nec libera vita perîclô eſt,
Aſtma humoroſum eſt: curatur ùt humida tuſſis,
Huîc & aromatici calami ſub pulvere radix
Servit, & aronis: ſpecialiter enula, quippe
Enula campana reddit præcordia ſana,
Inſuper & calidi leviant hæc aſthmata potus;
Continuatus item reſinæ juvat abjetis uſus.
Si non oppleto, aſt conſtricto pectore fiat
Aëris attractus ſonitu, & gravitate moleſtus,
Materies vel nulla adſit, vel pauca, tenáxque,
Hoc *convulſivum* Medicis ſolet *aſthma* vocari.
Cum convulſiva, & tenui medicamina tuſſi
Poſtu-

Poſtulat hoc eadem, quæ ſuprà cernere fas eſt.
Albenti vinô bis ſex mergantur aſelli,
Adde croci modicum, modicum ſuperadde canellæ,
Exprime per pannos ſuccum, quem dulcificatum
Ebibe pro doſi, pro quolibet aſthmate ſervit.
Si cui ſub ſomno gravior ſpiratio fiat,
Et ſuffocari videatur, non ſecùs ac ſi
Maſculus incumbens in pectora mole gravaret,
Atque licet clamare velit vox nulla ſequatur,
Donec in adverſum luctatus fortibus hoſtem
Niſibus evigilet: Medicis hoc *Incubus* audit.
Si venit à ſtomacho pleno vomitoria dentur,
Et veſpertino fiat moderamen in eſu:
Cœna levis, vel cœna brevis ſit raro moleſta,
Magna nocet, medicina docet, res eſt manifeſta.
At ſi pneumaticis ſtrictis ſymptoma relatum
Proveniat nervis, epileptica pharmaca proſunt.
Si dolor inſignis lateri, præeunte rigore
Inſideat, graviora ſimul ſpiracula fiant,
Pulſus ſit durus, ſitiens; ac arida lingua,
Atque dolens tuſſis, ſputum fortaſſe cruentum
Adſit, *Pleuritis vera* eſt; hinc vena ſecanda,
Et venâ ſectâ pulvis ſudorifer adſit,
Quem contra anginam ſupra tibi ſumere ſuaſi
Ex unda florum ſambuci, ſive galegæ,
Porrò oleum lini, vel dulcis amygdalæ ad intra
Aſſumptum prodeſt, undáque calente repleta
Spongia ſumenda eſt, oríque tenenda propinquè,
Ut vapor indè calens in pectora læſa trahatur.
Sumas olibanum ſylveſtre, terásque minutè,
Et ſubigas oleô lini, ſic inde paratur

Unguentum, per quod poteris refugare dolorem.
Vel cum lacte tibi sambuci decoque flores,
Atque chamæmeli, vesicam hoc lacte calente
Reple, quam tandem spatiis impone doloris.
Si dolor à flatu levior, vagus, & sinè febre est,
Omnia quæ flatus pellunt medicamina prosunt.
Si dolor obscurus magis est, ac pressio solùm
Antè retróque datur; graviùs tamen aëra captas,
Súntque genæ rubræ cum tussi, ac anxietate,
Ac pulsu molli, *Peripneumonia* vocatur.
Huic eadem morbo sit cum pleuritide cura.
Si quis disrupto spuat ex pulmone cruorem
Cum tussi, morbus Græcis *Hæmophtysis* audit.
Copia si causet morbum, motúsque cruoris,
In pede, sive manu maturè vena secetur,
Nec minùs hoc prodest emulsio frigida casu,
Cuî nitrum purum, seménque papaveris insit.
Si venit à tenui, sive acri sanguine, prosunt
Pulveris in forma tragacanthum, & terra bolaris.
Dum cruor emanat spodium sumptum tibi sanat.
Aut oleum lini, nec non emulsio dicta.
Urticæ succus dictos scit sistere fluxus,
Si bis quotidie bina ad cochlearia detur,
Et millefolii super hunc decocta bibantur
Cum rasura eboris consueto more parata.
Atque cibos acres, vinúmque & aromata vitet,
Et nimios motus. Solitos revocare fluores,
Sive hæmorrhoidum, seu per muliebria confert.
Si te consumat tabes ex ulcere nata
Pulmonum, putridúsque sapor generetur in ore,
Putrida sputentur, gravior spiratio fiat,
Est *Phtisis* morbus lenta cum febre molestus,

Ulcus

Ulcus ut abſtergas medicamina talia ſume ,
Queîs chærefolium, queîs nummularia ſubſit
Hedera terreſtris, nec non veronica, flores
Hyperici, bellisque minor, ſimul enula radix,
Atque glycirrhizæ : hinc virides contundito plantas,
Ut præſtent proprio madefactæ ſanguine pulpam,
Radices ſiccas in forma pulveris addens,
Melláque commiſcens opiatam perfice; de qua
Ter tibi quotidie ſumendum mole nuciſtæ,
Vel formâ potûs calidi decocta bibantur
Pharmaca, quæ retuli, pauxillo melle remixto.
Ex dictis demum plantis bona juſcula fient
Cum raſura eboris, tritos potes addere cancros.
In pilulis, aliisque juvat therebinthina formis;
Abietis & reſinam laudant, adipémque caninam,
Radix cocta merô ſymphyti, undáque bibatur.
Lac quoque proficuum ; verùm obſervanda diæta,
Non acidum, non vina licet conjungere lacti.
Pòſt fungi ſalicis mediæ ſub pondere drachmæ
Aſſumptus pulvis pulmonum contrahet ulcus.
Si pus in propria cumulatum cyſtide ſtagnet
Intra pulmones, ſub motu corporis intùs
Fluctuet, atque licèt te pectora plena moleſtent,
Nîl tamen excernas, vel quando quid expuis, illud
Veſicas formet, *Vomicam* latitare timendum eſt,
Quæ tibi poſtremam rumpendo minabitur horam,
Nec curam recipit, quin vix cognoſcitur arti.
Ulcere thoracis prægreſſo, vulnere, caſu,
Si latus in ſanum ſors decumbendo graveris,

Spiritus angatur, pus & tibi fluctuet intùs,
Pus quandoque ſpuas, *Empyema* latere putetur,
Thoracísque cavo collectio puris ineſſe.
Effluat ut tabum, thoracis apertio fiat,
(Hic *Paracenthesis* Chirurgis dicitur actus)
Et pus impoſito ſenſim vacuato canali,
Porrò ſub hoc eadem capias medicamina morbo,
Quæ phtiſi prodeſſe tuli ; ſed ſumere præſtat
In forma liquida magè cùm penetrare notentur.
Quando gravativus thoracem ſupprimit angor,
Siccæ junguntur tuſſes, & anhelitus æger,
Tempore quin primi quasì ſuffocatio ſomni,
Et fluitantis aquæ ſonitus, crurúmque tumores,
Atque ſitis vehemens, dicendus *pectoris hydrops* ;
Quem curare potes methodô, quam porrò docebo,
Dum plura hydropi ventris medicamina tradam.
Si tremat, aut crebro, & forti *cor palpitet* ictu,
Pulveris in forma rubicunda corallia proſunt:
Porrò det infuſum veronica juncta meliſſæ,
Atque crocus, nec non epileptica pharmaca, ſicut
Spiritus è cornu cervi, carabéque paratus.
Sed cave, nè pariant hæc ſpirituoſa calores!
Quando paroxiſmus ceſſat, laxantibus alvum
Utere, præcipue minerales ebibe lymphas,
Aut aperi venam, ſi copia ſanguinis adſit.
Quos *animus linquit*, vel adit gradus altior illo
Syncope: iis prodeſt aqua ſpirituoſa meliſſæ,
Et quæ morboſo dixi prodeſſe ſopori
Stante paroxismo ; poſtquam revocaveris ægrum,

Si

Si nimio ſcieris cauſari ſanguine morbum,
Vena ſecetur: ubi gravis evacuatio cauſa eſt
Sanguinis, aut lymphæ, vel longus viribus ægrum
Deſtituit morbus, nutrientia juſcula dentur
Sæpiùs, at modicè, nè venter abindè gravetur.
Si *polyposa* mali fons eſt *concretio*, proſunt
Huîc infuſa theæ, veronicæ. itémque meliſſæ,
Et mineralis aquæ, ſuccos quæ diluat, uſus.
Optima tractandi nunc eſt occaſio febres,
Utpote ſumma quibus ſtruitur violentia cordi.
Quæ cum horrore levi cæpit, mitique calore
Continuat, tandem ſudor nychthemeron intra
Terminat hanc criticus: nominatur *ephemera febris.*
Non eget hæc Medico, cuî ſat natura medetur.
Quòd ſi protrahitur dictus calor halituoſus
Cum pulſu pleno, cum debilitate gravante,
In quatuor, ſeptémve dies, febris iſta vocanda
Eſt *ſynochus ſimplex*, quem curat ſectio venæ,
Atque limonadæ potus, vel cornua cervi,
Cancrorum lapides fontanæ in pulvere mixti,
Et ſimul epoti cutis expectando madorem.
Quod ſi ſub ſimili febri calor acrior adſit,
Atque minor pulſus, vires quoque debiliores,
Eſt *ſynochus putris*, fermè curandus ùt alter,
Hoc nisì, quòd tantum non proſit ſectio venæ.
Interea ut ſudes, tollàſque cruoris acorem,
De cornu cervi raſurá juſcula ſorbe.
Veſpere quando febris capit ex horroribus ortum,
Frigeſcúntque pedum plantæ, fit ſiccior alvus
Cum ſtimulo mictûs, capitis quoque debilitate,

Corpus

Corpus languefcit, fitis eft, & orexis adaucta,
Fit calor ad noctem major, fomnúmque quietum
Non habet ægrotus, fudores manè fequuntur,
Sed reftat gravitas, torpórque: Labafcit orexis,
Atque catarrhalis morbi fymptoma notatur
Tuffis, difficilis fpiratio, five coryza,
Crede *catarrhalem febrem* de more *benignam.*
Huîc prodeft oleum quod dulcis amygdala fudit,
Atque glycirrhizæ fuccus, ptifanæque, & avenæ
Jufcula: fperma etiam ceti, vel jura crocata
Infufum calidum pro quo veronica fervit,
Semen fæniculi, liquiritia manè bibatur,
Et ftibium diaphoreticum, fimilisve tenoris
Pulvis fumatur, cutis expectando madorem.
Si levis horroris fenfus præcedat, & illum
Mox calor internus, fitis, arida lingua fequatur,
Naufea, vel vomitus, ftomachi capitifque dolores,
Noctes infomnes, deliria, fortè phrenitis,
Summáque debilitas, fpiratio crebra, & anhela;
Flammeus & mictus, gelidíque in fronte madores,
Et licèt hæcce die fiant leviora fecundo,
Impare quoque die revocentur adaucta vigore:
Continua hæc *febris*, fimul & *tertîana* vocanda eft.
Si calor exurens, fitis haud explebilis, alvus
Siccior adfuerint, *Caufus* fpecialiter audit,
Frigida potetur tantum extinctura calorem,
Cûi nitrum potes, ac acidos mifcere fyrupos,
Sume oculos cancri, medióque in pondere nitrum,
Paucula contribuat pro dofi camphora grana,
Et fiat pulvis fontana dandus in unda;
Temperat ardores emulfio frigida fummos,
Atque limonadæ potus, fimilésque medelæ,

Pulſibus, & capiti prodeſt epithema, quod antè
Sub cephalalgia frontem circumdare juſſi,
In quo ſemineo ſociatur camphora lacti.
Quando repentino quatiuntur terga rigore,
Quem calor inſignis, ſed pulſus debilis, atque
Forſan inæqualis cum ſumma debilitate
Roboris: anxietas cordis ſomni, atque quietis
Neſcia, deliquiis animi ſtipata ſubinde,
Et cephalalgiâ, ſitis autem nulla, vel ingens
Inſequitur, maculæ febre progrediente rubentes
Pulicis ùt morſus, vel nigræ, nilque levatæ,
Sed pelli æquales in collo & pectore, poſt hæc
Partibus in reliquis erumpunt: *Petecbialis*,
Atque *maligna febris* medicis de more vocatur;
Ut bene curetur, conducet potus aquoſus
Sæpius aſſumptus, decoctum tale febrile:
Accipe acetoſam, Scorzonerâmque, & utrique
Junge glycirrhizam, raſpatáque cornua cervi,
Hordea, fœniculum: cum pura decoque lympha,
Et facies potum febribus compluribus aptum,
Si calor atque ſitis creſcit, citri addito ſuccum,
Accipe cancrorum lapides, & mole minori
Cinnabarim nitrum, ſuperaddat camphora
granum,
Bis, ter quotidiè patiens de hoc pulvere ſumat;
Tenuia de cornu cervi quoque jura capeſſat,
Si dolor urgeret capitis, deliria, ſomnus,
Veſicans medium nuchæ applicuiſſe juvabit,
Quando diarrhææ ſociantur damnma nantes,
Pulvere pannonico rubro utere, linque nitroſa.
Dira lues *Peſtis* dum juſtâ Numinis irâ
Incidit in mortale genus, motúque feroci
Enecat,

Enecat, & totæ vacuantur civibus urbes,
Tum crebtò ſumant miſeris mortalibus aræ.
Tum repetita ferunt placandis munera Divis,
Et bene, nam medium vix ars pœonia novit,
Quod peſtem quamcunque domet, ſed quod modò juvit,
Nunc nocet, & crebrò miſeros internecat ægros,
Fors celante Deo cauſam luis, atque medelam;
Nè tamen omiſſum quidquam videatur ad iſtum
Morbum frænandum, breviter medicamina tradam:
Ad præſervandum rutæ capiatur acetum
Ad cochlear binum: vel mixtam ſimplici aceto
Accipe Theriacam: vel finæ ſumito cretæ
Grana decem, piperisq; albi grana addito quinq;
Et cape pro doſi, vel baccæ juniperinæ.
Radix angelicæ, ſcordìque infunditur herba,
More theæ bibitur ſuccum miſcendo Limonum.
Huc redit id, per quod Mithridates toxica fugit:
Bis denum rutæ folium ſalis, & breve granum,
Juglandésque duas, totidem cum corpore ficus,
Hæc oriente die paucô conſperſa lyæô
Sumebat, metuens dederat quæ pocula mater.
Tempore peſtifero cave deglutire ſalivam,
Angelicam mande, aut flavum de cortice citri
Ore tene: Tractæque dein ſpue juncta ſalivæ.
Huic etiam fini ſervit fumare tabacam.
Vina vetuſta bibas, quæ Rhenus, & Auſtria profert;
Sobrius in menſis eſto: nolito timere,
Per pilulas Rufi ſolvatur ſegnior alvus.
Ut Peſtem cures, eadem medicamina ſumas;

Porrò sequens pulvis bonus est persæpè repertus:
Accipitur nitrum, myrrha, & de sulphure flores
Mole pari, mediâ copulatur camphora dosi,
Fit pulvis: dantur pro dosi grana viginti;
Subjectis calidis acida admiscere memento.
Si fors inguinibus nascatur *bubo*, vel alis,
Vel si denigret comburens pustula carnem,
Mortificétque (malum medicis *carbunculus* audit)
Tale tibi subitò poteris cataplasma parare:
Allia cum cepis cinerum cape cocta calore
Mel cum theriaca veteri, stercúsque columbæ:
In pulpam simul ista teras, & sæpè calentem
Morbosis appone locis: Mollescet abindè
Bubo; hic maturus cultrô referetur acutô
Melle, & Theriacâ mundetur: consolidetur,
Ast in carbunclo caro mortua nigra secetur
Ignitô cultrô, nè pars syncera trahatur,
Mel super hunc usto ponatur alumine mixtum,
Nè caro sylvestris crescat: mundata deinde
Omnia si fuerint, ulcus bene consolidetur.
Consolidare juvant saturnô emplastra parata,
De minio, gryseum, quibus album jungito coctum.
Variolas dorsi dolor, horripilatio, & æstus
Præcedunt, oculi splendores, febris acuta,
Atque dolor capitis, stomachi; gravitásque per artus
Nausea, vel vomitus, modò somnolentia summa,
Nulla quies aliàs; Convulsio sæpè notatur
Quarta dies tandem rubra exanthemata profert,
Quæ vix prorumpunt, mox attolluntur in altum,
Et suppurantur: siccantur deinde, cadúntque.
Si distincta situ quævis stat variolarum,

Mitior

Mitior eſt morbus, Medici vix indigus unquam,
Ex ſcorzoneræ lympha nihilominus uti
Pulvere pannonico rubro pro more licebit.
Si verò maculæ prorumpunt variolarum
Ante diem quartum, mox confluit omnis in unum
Puſtula : nec diſcreta manet, fluxúsque ſalivæ
Adſuit, aut ventris, morbus pejoris habetur
Indolis, atque ſuos Medicos petit eſſe ſagaces.
Sæpè juvat priùs, ac erumpant, ſectio venæ,
Convenit & primo laxatio tempore; verùm
Incipiente move morbo quæcunque movenda,
Dum verò præſens vigor eſt, requieſcere præſtat.
Succos dulcifica nimis acres pulvere rubro
Pannonico, quod idem frigens emulſio præſtat.
Et bibe decoctam mundis de lentibus undam.
Si calor ægroti minor eſt, quàm expulſio poſcit,
In lac ſemineum contundito ſemina citri,
Napi, & aquilegiæ, cardûi ſancti, atque Mariæ,
Aut ad grana aliquot cum pulvere jungito myrrham.
Si calor excedens egreſſum variolarum
Impedit, emulſis frigentibus adde papaver,
Sive citri ſuccum pro potu, acidósque ſyrupos
Deſcripto ſuprà decocto junge febrili,
Ac ita naturæ ſerva in moderamine motus:
Sic bene cedet opus. Maculæ ſed variolarum,
Nè noceant oculis, plantaginis, atque roſarum
Accipiantur aquæ, ſolvatur camphora in illis,
Et crocus; his oculi madefiat palpebra crebrò.
Ad defendendas nares dat camphora nodum
Juncta roſis rubris, qui ſi madefactus acetô
Sæpiùs olfiat, nares ſervabit apertas.

Fauces nè obſideant, plantago cum ſcabioſa
Pro gargarismo ſervit cum melle roſarum.
Utque ſalivalis bene cedat fluxio, junctam
Cinnabarim dicto cum pulvere ſæpè propines,
Et cremor ex hodeô pro gargarismate detur,
Qui ſimul ardentem colli contemperat æſtum.
Nè retrocedant, capitisve pathemata cauſent,
Proſpiciunt uſu veſicatoria juſto,
Servetur regimen medium inter frigus & æſtum.
Si febris infantem non diſpar varioloſæ
Occupet adjuncto manuúmque, pedúmque tremore,
Invitis lacrymis, oculisque rubentibus, atque
Promanante ſero naſi, vertigine, tuſſi,
Quarta dies tandem ferat exanthemata rubra,
Et frontem atque genas, reliquúmque notantia corpus,
Inque parem lenti ſeſe extollentia molem,
Non pus concipiant, verùm perdendo ruborem
Senſim evaneſcant, *Morbillos* crede vocandos.
Non opus eſt venam morbi ratione ſecare,
Nî fors ſubjectum patiens ſibi vendicet illud.
De reliquo curando eadem ſervare memento,
Quæ de variolis docui, mediúmque teneto
Semper, quippe viam naturæ iviſſe beatum eſt.
Si ſimili febri tuſſis vehementior adſit,
Pruritúsque cutis, quicum per pectora, dorſum,
Colla die quarto ſeſe exanthemata produnt
Rubra inſtar milii, nominetur *purpura rubra.*
Si rubras maculas alba exanthemata condant,
Et velut inſideant, hæc *purpura* dicitur *alba.*
Quòd ſi tota cutis rubeat, maculæque rubellæ

Illam diſtinguant, quæ fors aliquomodo fingant
Morbillos, magis at diſpar ſit imago figuræ,
Atque cutim tandem ſquammas formando relinquant,
Pluribus & vicibus redeant, iterúmque recedant,
Scarlatina febris morbus de more vocatur.
Nulla malis dictis conducit ſectio venæ,
Et ſi quis morbus, certè hi moderata repoſcunt
Omnia, nec frigus, nec magnum ferre calorem
Poſſunt, hinc regimen medium tenuiſſe juvabit.
Pulvere pannonico, vel eo, quem Marchio fecit,
Aut oculis cancri, vel cornu in pulvere cervi
Ex Scorzoneræ lympha bene conferet uti,
Naturæ reliquam curam linquendo Parenti.
Siqua diu duret febris, quandoque remittat,
Aſt iterum major poſt paſtum, & veſpere fiat,
Adſit nocturnus ſudor, minuatur orexis,
Et vires: urina rubens, vel livida, pinguis,
Vel ſubſeſſuris contentis turbida: pulſus
Debilis, atque celer, cum lingua & corpore ſicco
Sit, rubeántque genæ, contabeſcentia fiat,
Dum latet in ſolidis vitium morbi *Hectica febris*:
Si minor eſt gradus, & ſolis humoribus hæret
Fomes, *lenta febris* diſtincta voce vocatur.
Si malè digeſtis alitur febris hectica ſuccis,
Beccheri pilulis ſolvatur leniter alvus,
Sive Zedlicenſi lymphâ, mannáve, rheóve,
Pòſt ptiſanæ blandæ, vel jura parentur avenæ,
Vel quoque de pineîs, cancris, teſtudine, ranis,
Ac ità ſumantur, ſtomachus nè mole gravetur,
Lac aſini pariter, caprinum, ſive bovinum
Prodeſt, ſi calidè ſenſim aſcendendo bibatur

Usque ad menſuram : deìn deſcendendo retrorſum,
De reliquo in cunctis ſtrictam ſervando diætam.
Deſuper ægroto contrita rubrica fabrilis
Detur quotidie conſervæ mixta roſarum.
Si febris incipiat valido durante per horas
Frigore, ſuccedat calor, hinc ſudore ſoluta
Deſinat in totum, ſub forma donec eadem
Febrim quarta dies referat : *quartana* vocatur.
Quæ redit alternis audit *tertiana* diebus.
Quotidie rediens hinc *quotidiana* vocatur.
Quando igitur crudi latitant in corpore ſucci,
Digerere hos opus eſt : Arcanô quod duplicatô
Fiet, cancrorum tritos jungendo lapillos.
Nec minùs abſynthî ſale, centaurique minoris
Lixivíſque aliis ſumptis ad grana viginti.
Succis digeſtis crebrò vomitoria proſunt,
Ut radix aſari mediæ ſub pondere drachmæ
Ante paroxismum, ſed non operentur in illo.
Tempore ſic vacuo corpus laxare juvabit
Beccheri pilulis, ſalibus, ſimilive medela.
Corpore purgato febres ità ſiſtere fas eſt,
Ante paroxismos ſorbenda infuſio florum
De chamæmelo calidè : tum caryophylli
Juniperíve oleô ſtomachum ventrémq; perungas.
Fermento jungas apices abſynthii, acetum,
Ex his ventriculo tepidum cataplasma paretur.
Ad pulſus manuum mixtus fuligine ſapo
Conficiet maſſam, quæ ſat madefiat acetô.
Quando paroxismus ceſſat, de cortice chinæ
Ex albo vino capiatur drachma, quaternis
Quam repetas horis, donec febris integra ceſſet,

Ac ultrà, nè fors maneat recidiva ſuperſtes.
Vel chamomillæos flores ad grana viginti,
Grana decem ſtibii ſudores pellere nati,
Grana decem ſalis abſynthî pro pulvere miſce,
Detur per biduum, ſub ſexta qualibet hora.
Moſchatæve nuci, & nitro miſcetur alumen
Mole ſub æquali, dantúrque ad grana viginti.
Laudant perlarum matrem, conchásve crematas,
Oſtrea quas offert ſcrupulorum mole duorum,
Deſuper at laxes, aliàs recidiva ſequetur.
Non minùs his febribus quodvis conducit amarũ,
Quale eſt trifolium fibrinum , abſynthium utrumque,
Carduus & ſanctus, centaurîque herba minoris,
Radix præprimis gentîanæ, ſi quis eorum
Aut infuſa bibat, vel de his eſſentia fiat.
In ſtomacho ſi forte tuo latet *acre venenum*,
Ut ſunt cantharides, vel cauſtica mercuriata,
Arſenicum, nec non purgantia draſtica quævis.
His priùs, atque ſuas mittant in viſcera vires,
Ex oleo proſunt vomitoria, ſive butyro,
Poſtea lac calidum, vel pinguia jura bibantur,
Decoctum altheæ, ptiſanæ, vel juſcula avenæ.
Aſt ubi jam maſſam ſubière venena cruoris,
Terra ſigillata, & ſcordî decocta juvabunt,
Tum ſublimati roſivi Mercurialis
Cryſtallus montana ſolet ſuperare venenum.
Si *pariens ſomnos* ſumpſiſti fortè *venenum*,
Et latet in ſtomacho, vomitoria fortia proſunt,
Pòſt cum theriaca mixtum tibi ſervit acetum,
Sic ſtibiata etiam vomitoria caſtrat acetum,
Et facit ut ſolùm moveant de pelle madores.

Allia prævertunt quodvis in agendo venenum,
Teſtibus Ungariæ populis, ſcriptísque Poëtæ;
Allia qui manè jejunô ſumpſerit ore,
Hunc ignotarum non lædet potus aquarum,
Nec diverſorum mutatio facta locorum,
Hæc ideò miſcere cibis meſſoribus eſt mos,
Ut, ſi fortè ſopor feſſos depreſſerit artus,
Vermibus à nocuis tutò requieſcere poſſint.
Si tibi viſciditas ſtomachalem *tollat orexim*,
Vel *minuat*, cape tartareum perſæpè cremorem,
Lixivósque ſales, velut uſta abſynthia, nec non
Cichoreum, benedictus itèm tibi carduus offert.
Poſt hæc ventriculum vomitu vacuare juvabit,
Vel maſtichinis pilulis laxare per alvum.
Denique Birkmanni ſtomachali pulvere noto
Utere; ſive parùm diſpar ex tempore fiat
Pulvis, aromaticô calamô qui conſtet, & arô.
Et pimpinellâ gratâque ſapore canellâ.
Pulveris in forma pariter Zedoaria radix,
Zingiber, atque piper proſunt, & aromata quævis:
Maſtix quotidiè mane ad tria grana recepta
Laudatur, velut & paradyſi grana, cubebæ.
Extractum abſynthî, nec non eſſentia ſervit,
Decoctum caffée non multùm dulcificatum,
Non infuſa minús thea, trifoliúmqúe fibrinum.
Extùs inungatur ſtomachus vel caryophilli,
Juniperive oleô, vel menthæ, ſive nuciſtæ.
Si calor & bilis ſtomachalem demat orexim,
Lene acidum reparat, veluti granata, limones,
Berberis, atque ribes, tamarindus, & indè parata.
Tartareúsque cremor, pulvis ruber indè profectus.

Oppo-

Oppoſitum ſequitur vitium quod *Bulimus* audit,
Atque *canina fames*: ſunt ambo cupido vorandi
Aucta, ſed in tantum non indiſtincta, quod illum
Anxietas, ſtomachique dolor, vel lypothimia:
Iſtam more canum vomitus non rarò ſequatur.
Hos curat morbos aſſumpta in pulvere creta,
Atque chamæmeli decoctum: potio vini
Fortis non acidi: manſum quoque ſemen aniſi,
Fæniculi: menſis crebrò apponatur oryza,
Cancri, limaces, ac ova, caróque ſuilla!
Mira fames *pica* eſt, quæ res non eſibus aptas
Appetit, ùt cretam, carbones, ſtercora, calcem.
Quando in res crudas, aut raras vergit orexis,
Detur huic morbo ſpeciale *Malacia* nomen.
Ut medeare malo, viridem contundito mentham
Cum duplo ſachari, ſic eſt conſerva parata,
De qua quotidie capiatur pondere drachmæ.
Si patiens non ſit prægnans, zedoaria radix
Pulveris in forma conſervæ addenda citatæ;
Servit & infuſum menthæ cum cortice citri.
Noverunt acidô ſtomachum reparare limones,
Berberis, atque ribes, granata, cydonia ſuccô.
Unge oleô menthæ ſtomachum, vel juniperinô.
Dum *ſitis* augetur calida de bile, levabit
Omne acidum blandum de citro, ſive limone,
Quale limonada eſt: nitrum quoque potibus
adde.
Si ſitis à nimia viſcedine ſumpſerit ortum,
Sume theam calidam, qua ſit cremor antè ſolutus
Tartareus, ſed quando ſitis debetur origo
Aſſumptis ſalſis, aquei ſuper omnia potus
Extinguunt; verùm ſi te ſitis alta moleſtet,
Nec

Nec tamen ullius fiat tibi copia potûs,
Quid tibi tentandum? volvatur in ore lapillus;
Hôc ſitis ad tempus ſaltèm falletur adaucta.
Quando marceſcunt epulæ ſinè fine potitæ,
Atque *nidoroſos* concoctio læſa *ſapores*
Prodit, & ova velut præſentat putrida ructu,
Hìc acidi proſunt ſucci jam ſæpè notati,
Tartareúsque cremor, laxatio per tamarindos,
Externè panis toſtus madefactus acetô.
Dum vitioſa *acidos* generat concoctio *ſuccos*;
Sal ſume abſynthî, cancrorum junge lapillos,
Moſchatámque nucem ſub forma pulveris adde,
Sic fiat pulvis, quem mané & veſpere ſumas.
Semen fæniculi, dabit atque galanga tragæam,
Atque canella, nuces moſchatæ, ſemen aniſi
Hæc contrita ſimul, modicum quoque dulcificata,
Admixtô ſacharô bis cocto inſpergito pani,
Qui priùs intinctus fuit in generoſa phalerna,
Taliter hoc medium poſt quamvis ſumito menſam,
Non minùs appoſitum caffée tibi ſuggerit hauſtum.
Quando in *viſcoſum* cedunt alimenta *liquamen*,
Proſunt, quæ ſupra conducere pharmaca dixi
Contra anorexiam nimia viſcedine natam.
Nauſea crebra velut, ſed vana cupido vomēdi eſt,
Sic quoq; cum vomitu, methodo curatur eadem.
Si *vomitus* creber fuerit de bile profectus,
Omne acidum ſubtile juvat velut antè citata,
Spiritus huc acidus de nitro, vitriolóque
Adducendus erit, poteriſque parare julepos.
Si ſuccum citri fontanæ junxeris undæ,

Spi-

Spirituum paucas acidorum more moderno
Addideris guttas ad gratos usque ſapores.
Alvum mollificans adſtrictam ſolvat enema,
Vel fiat lenis laxatio per tamarindos,
Barbaricúmve rheum, vel denique myrobolanos.
Si venit à ſtomacho *vomitus* viſcedine laxo,
Egreſſûs cupidos moveant vomitoria ſuccos,
Nam vomitus vomitum, ſi ſit repletio, curat.
Hinc panis toſtus vinô madefactus opimô
Proderit, & quodam conſperſus aromate, quale eſt
Nux moſchata, piper, maces, vel caryophylli,
Sive canella, ſeu ſupra deſcripta tragœa.
Ad quemvis vomitum eſt ſucci cochleare limonum,
Cuî ſalis abſynthî miſcentur grana viginti,
Nauſea cum vomitu toſti quoque panis odore
Tollitur, ac oleô menthæ ſtomacho extùs inunctô.
Aut panis toſtus modicô inſpergatur acetô,
Ac imponatur conſperſus caryophyllis,
Vel nuce moſchata, vel macere, ſive canellâ.
Prægnantûm vomitus tandem natura coërcet,
A Medicis igitur rarô medicamina poſcunt.
Sanguinis in *vomitu* proſunt quæ hæmophtyſis optat,
Atque ſimul frigente manus teneantur in unda,
Sic vomitus quivis non longo tempore cedet.
Fortiter adſtrictus referetur clysmate venter,
Póſtque Paroxismum tamarindis, myrobolanis,
Barbaricóve rheô ſolvatur leniter alvus.
Sed cave nè forſan dentur quæ nauſeat æger
Pharmaca, nè vomitum revoces, ſimul atque cruorem.

Ardorem ſtomachi, qui paſſim *Soda* vocatur,
Temperat abſorbens quodvis ex pulvere cretæ,
Ex oculis cancri, perlarum matre paratum,
Conducunt ſiliquæ duces, ptiſanæque, & avenæ
Juſcula, pòſt alvum laxet magneſia nitri.
Quando dolor ſtomachi, qui *Cardîalgia* vocatur,
Provenit ex acri tunicas rodente liquore,
Proderit emulſum, quod præbet amygdala dulcis
Seminìbus quatuor, ſimul atque papavere juncto,
Huic lacti poteris miſcere corallia rubra,
Cancrorum lapides, ſinámve in pulvere cretam.
Juſcula cancrorum, pinearum, juſcula avenæ,
Et gállinarum, ptiſanæ, ſimiliſque farinæ
Proſùnt, ac oleum, quod dulcis amygdala fundit.
Si venit à flatu dolor iſthic aromata, proſunt,
Quæ turgent oleô, velut eſt cum mace nuciſta,
Semina fæniculi, carvi, cumini, & aniſi,
Spiritus & nitri dulcis, menthæ, vel aniſi.
Inſuſum menthæ calidum cum cortice citri,
Sive chamæmeli florum theiformiter hauſtum,
Non minùs ex iſtis poterunt bona jura parari.
Externè ſtomachus conſtante calore fovendus,
Ungendúsque oleô menthæ, vel juniperinô.
Alvus ſedato leviter ſolvenda dolore.
Contra *Singultum* zedoaria, ſemen anethi,
Caſtoreique parùm proſunt in pulvere ſumpta,
Vel quoque cum vino decoctum ſemen anethi,
Spiritus è cornu cervi, carabéque paratus.
Caſeus antiquus conducere fertur eidem,
Sulphuris accenſi fumus cautè ore receptus.
Exteriùs panem toſtum, vinóque madentem
Appone aſperſum baccarum pulvere lauri.

Dum

Dum ſequitur morbos alios, hi reſpiciantur.
Quando ſcrobiculum cordis dolor angit, & æſtus,
Ac intenſa ſitis, jactatio corporis adſunt,
Noctes inſomnes, juncta ſimul anxietate,
Frigus in extremis, repetita cupido vomendi,
Spiritus haud facilis, dolor à queîscunque comeſtis,
Creditur hic meritò *ſtomachi inflammatio* morbus.
Phlegmonem ſtomachi pariter medicamina curant.
Dicta ſub angina, veſicáque lacte repleta
Ponitur exteriùs, velut in pleuritide dictum.
Fervida cúm noceant, pariter quoque frigida lædant,
Internè tepidè medicamina cuncta capeſſe.
Mollibus adſtrictam laxa clyſteribus alvum.
Si dolor ardeſcens minuatur, tenſio reſtet,
Lenteſcat febris: *abſceſſus ſtomachalis* habetur.
Cuî præter ptiſanas, & juſcula præter avenæ
Tradere nîl opus eſt, donec rumpatur, & *ulcus*
Efficiat, ſub quo pungens dolor adſtat, & ardens
Auctior à paſtu, ſapor ac excretio puris.
Ulceribus ſtomachi medicamina cuncta medentur,
Quæ phtiſi prodeſſe queunt; ſed cuncta dabuntur
Tutiùs in formâ fluida, quippe aſpera lædunt.
Aut album Græcum conſervæ junge roſarum,
Et cape ſæpè parùm, nè moles auctior obſit.
Sordida cùm bilis vomitu, ſimul atque per alvum
Crebriùs ejicitur, ventris comitante dolore,
Flatibus, & pulſu celeri, parvo, anxietate,
Deli-

Deliquiis animi, gelidóque in fronte madore,
Dic *Choleram* morbum tali ratione fugandum:
Juſcula pullorum repetitis potibus hauri
Ad multos cyathos, eadem per clysmata ſume.
Nocte diaſcordiûm ſumatur pondere drachmæ
Ex unda menthæ; pro fine Smaragdina detur
Theriaca ex unda menthæ, quæ continuetur
Porrò dies aliquot, nè fors recidiva ſequatur.
Extùs dropacem piceum cum pulvere menthæ
Mixtum ſcrobiculo prodeſt apponere cordis.
Flatus quando vias pereunt reſonando ſupernas,
Dicuntur *ructus, crepitúsque* inferna petentes.
Ut migrent faciles anguſto corpore flatus,
Spiritus ex nitro dulcis cum ſpiritu aniſi
Commixtus faciet guttas ſumendo triginta,
Jura chamæmeli citri cum cortice facta,
Sive aurei mali, calidè ſuper háſce bibendo.
Quodlibet imprimis oleoſum pellit aroma
Corporibus flatus, ùt nux moſcata, canella,
Non minùs & maces, zedoaria juncta galangæ,
Semina fæniculi, carvi, vel ſemen aniſi,
Ex his conjunctis pulvis tundendo paretur,
Tartareúſque cremor medio ſub pondere maſſam
Cunctorum ſubeat, de qua poſt fercula ſumas.
Semen fæniculi pellit ſpiracula culi.
Clysmata conducunt clauſos redimentia flatus
Ex malva althæa, meliloto, ſemine anethi,
Atque chamæmelo coctis cum jure parata.
Hæc oleô lauri junctô tepidè injiciantur,
Promptiùs ut laxent medium ſalis adde maniplum,
Ac oleô lauri ſtomachum ſimul extus inunge.

Retræ-

Refrænant *Colicam* ſtomachali ſacra dolori
Pharmaca, quæ ſuprà diſtincta ſorte videnda,
Sed calidè potiùs medicamina cuncta propines:
Optima ſunt colico mulcentia clyſmata morbo,
Quæ modò propoſui pellendis flatibus apta,
Sed fructu majore coques cum lacte crocato.
Extera quod tangit, præter jam ſæpè citata
Sume chamæmeli flores, oleúmque ab olivis,
Ováque, & ex iſtis ſartagine pinſe placentam,
Quæ ſuper umbilicum crebrò calefacta locetur.
Mitigat & colicas data de fuligine drachma,
At ſuper hanc alvus medio ſolvenda ſequenti:
Paſſula cum ſenna capiatur, ſemen aniſi,
Tartareúſque cremor, ferventem affundito lympham,
Sténtque locô calidô, calidéque deinde bibantur.
Nè redeant colicæ, patiens equitare jubetur.
Dum fluit humidior, quàm par, & crebrior alvus,
Voce *Diarrhea* morbus de more notatur.
Ut vitioſa priùs detergas, pondere drachmæ
Sume rheum verum; toſtum cape deſuper illud
Cum nuce moſchata, toſtis quoque myrobolanis,
Vel quoque ſumantur bolus armena, cornua cervi,
Terra ſigillata, & contrita corallia rubra.
Serviat in potum decoctum tale bibendum:
Sume hordeûm toſtum, ſiccata cydonia, ſorba,
Et tormentillam, bistortam, ſemen aniſi,
Decoque cum lympha, moderatóque ebibe potu.
Non minùs ad brunum ſervit thea cocta colorem,
Extùs theriacâ ſtomachum, ventrémque perunge,
Sacculus & foveat calidâ repletus arenâ,

Ovorum luteô, & bis cocto vescere pane.
Quando dolorosus, creber, cum tormine sævo
Fit fluor alvinus cum pure & sanguine mixtus,
Crede *Dysentericum* dicendum hunc esse fluorem.
Ut benè curetur, detur priùs hyppoacanna
Ad mediam drachmam, medicata deinde propines
Juscula de cornu cervi, priapóque parata;
De priapo tauri, vitulina carne; jugentur
Symphyti radix, & flores hypericonis,
Hedera terrestris: jura hæc calefacta bibantur,
Atque gelatinæ, quas præbent cornua cervi.
A multis oleum, quod dulcis amygdala fundit,
Cum succo citri, certò prodesse refertur.
Si dolor est urgens lac prodest chalybeatum,
Internè calidum, simul & pro clysmate sumptum.
(Pro clystere simul poterit terebinthina jungi.)
Porrò diascordîi præsertim vespere drachmam
Ex destillata menthæ tibi consulo lympha;
Terrea non minùs hìc, sive absorbentia dentur,
Terra sigillata, & bolus armena, & antè relata.
Fortiùs ut stringant radices adde sequentes:
Ut tormentillam, bistortam in pulvere fino,
De nuce moscata modicum. Furnaria tandèm
Argilla internè, simul ac in clysmate servit.
Extùs theriacam, tostámve apponito panis
Crustam, muschata nuce consperfam, atque lyæô,
Herbam argentinæ plantis impone calentem.
Quando fluit vicibus repetitis humor aquosus,
Carnis loturæ similis, verùm absque dolore,
Dicitur *hepaticus fluxus*, qui rarus ùt extat,
Sic gravis in cura est; quod si tamen ulla medela est,

Sumo

Sume rheum verum Martis cum polline mixtum.
Quando *lientericus* vacuat tua viſcera *fluxus*,
Seû mutata parùm dum fercula dejicit alvus;
Fluxu cœliacô dum chylus redditur ipſe,
Omnia de mentha tum meſpila, ſorba medentur,
Nux moſchata etiam, conditum zingiber, atque
Maſtix cum reliquis. Vel tritam junge nuciſtam
Binis ovorum vitellis, junctâque ſumas,
Atque abſynthiaci ſuper hæc bibe pocula vini.
Quando obſtructa creant chyloſos lactea vaſa
Fluxus, cichoreum cum tota decoque planta,
Junge rheum verum, decoctáque crebrius hauri;
Unda Zedlicenſis pariter non rarò medetur.
Dum ſua reddendi fæcem oblivifcitur alvus
Munera, dulcis aquæ permultùm balnea præſtant:
Mollibus ex herbis clyſteres crebriús adſint
Adjunctis oleis blandis, ſale, felle bovino,
Non ignota ſuo ſunt ſuppoſitoria fructu:
Quodvis dulce oleum prodeſt ex jure receptum,
Tartareúſque cremor lymphâ, vel jure ſolutus.
Paſſula cum ſennæ foliis infuſa cremore
Tartareô junctô, decoctáque Mercurialis
Cum toſtis prunis, vel aquoſus largior hauſtus.
Unguentum populi tribuant, confectióque
hamech
Partes æquales, queîs nudas ungito plantas,
Et telâ tectis lateres impone calentes;
Alvum conſtrictam fermè ad miracula ſolvent.
Sæpè ſuper marmor ſtando bene ſolvitur alvus,
Liberiórque fluit, non eſt tamen undique tutum.
Si tibi *lumbrici* magnos in ventre dolores,
Pruritum naſi cauſent, ſomníque pavores,

Ut taceam reliquos effectus indè profectos,
Allia si biberis decocta in lacte necabunt,
Semen santonici, radix zedoaria, myrrha,
Atque rheum verum, & quodvis medicamen
amarum,
Indè bonus pulvis facili ratione paratur.
Si laxare cupis, nectósque educere vermes,
His sennam jungas in pulvere, sive jalappam,
Vinum absynthiacum clarum quandoque bibatur.
Quodvis dulce oleum prodest è jure receptum,
Et pulvis cretæ sumptus cum lacte recenti.
Mentitur mentha si sit depellere lenta
Ventris lumbricos, stomachi, verm ésque nocivos,
Si sursùm ascendant, sumpto sale deprime vermes,
Allicit & clyster factus de lacte deorsum.
Caseus antiquus, si in suppositoria formes,
Allicit ascarides, nec non simul evocat alvô.
Extùs in umbilicum quæcunque locentur amara,
Ut myrrha, aut aloë, aut absynthia, félque
bovinum.
Intestinorum phlegmone abscessus, & ulcus,
Noscuntur, veluti noscendos antè docebam
Hos stomachi morbos, methodóque fugantur
eâdem,
Si tamen his morbis gravioribus ulla medela est.
Si quis sæpè vomit, venter dolet, atque tumescit,
Alvus clausa manet, vomitus, vomitúsque se-
quuntur,
Qui fæces alvi, globulos, & clysmata reddunt,
Et febris atque sitis conjungitur, *Ileus* audit,
Aut *miserere mei.* Nulla hic tardanda medela:
Sistatur vomitus mediis satìs antè relatis,
Cly-

Clyſmata conſtrictas dentur laxantia fibras,
Qualia prægreſſis titulis deſcripta notantur,
Succedant tardum validè ſtimulantia ventrem:
Jura chamæmeli cum oleo quod amygdala præbet,
Sæpiùs, at modicè dentur, nè ſumpta vomantur.
Porrò chamæmeli ſaccus cum lacte coquatur,
Quem ſuperimponas ventri tumido, atq; dolenti.
Non minùs hoc titulo quoque balnea dulcia proſunt,
Junctô verbaſcô, malvâ, ſimilíſque tenoris.
Dum venit ex aliis cauſis, medicina paretur
Conveniens cauſæ propria ſub ſede relatæ.
Extremóque malo cunctam renuente medelam
Mercurium vivum dubiâ cum ſorte propines.
  Dum crebrò vacuare cupit, ſed inaniter alvus,
Niſus adeſt ingens, ſed prodit ridiculus mus,
Nîl niſi mucus abit modicus fors ſanguine mixtus,
Dicitur hic morbus communi voce *Tenesmus*:
Herba chamæmeli, verbaſci cum meliloto
Efficiant ſaccum ferrato lacte coquendum,
Ponendúmque locô læsô: fotúsve Sabinæ
Anus ſuſcipiat, lymphâ decoctæ, & aceto.
Proderit & maſtix, thus, & terebinthina fumô.
  Pars inteſtini recti dum *procidit anô*,
Reſtituenda loco eſt; dein admoveatur eidem
Sacculus è foliis quercûs, & glandibus ejus,
Ac millefolio, granati cortice factus,
Decoctus vinô rubrô, quod ſtringere novit.
Exquirátque locum patiens pro ſede calentem.
Curam ſubjectis faciet puerilibus ætas.
  Dum compreſſa *tument hæmorrhoidalia vaſa*,

Aut cruor è tumidis fugatur hirudine venis,
Si fluor emanſit ſolitus, vel vena ſecetur
In cubito; tundenda ſimul ſcrophularia radix
Eſt, & in unguentum dulci ſubigenda butyrô,
Quo tandem tepidè ſedes ungenda tumoris.
Dum micæ panis cum porro in lacte coquuntur,
Tum cataplasma parant nulli fortaſſe ſecundum,
Interea duram ſolvat magneſia nitri
Alvum, ſive rheum verum pro pulvere ſumptum.
Si tumor hic doleat, ſimul inflammatio ſubſit,
Ex ſævo cervi bona ſuppoſitoria fient
Cum verbaſci oleô. Cancrinum ſume butyrum,
Et bene ſubtili miſce cum polline gypſi,
Ac impone loco, qui fert tormenta doloris.
Semen hyoſciami, & verbaſcum decoque vinô,
Excipiátque anus ſurgentem in ſede vaporem,
Vel cataplasma priùs dictum, vel ſacculus adſit
Ex malva, althæa, verbaſco, ſemine lini:
Jungat ſambucus, nec non linaria flores,
Quem cum lacte coquas, calidúmque doloribus aptes.
At milleſolium, linaria florida, flores
Verbaſci poterunt in jura theámve parari,
Quæ calidè vicibus repetitis crede bibenda.
Si *fluor* eſt *nimius*, minitánsque perîcla ſaluti,
Sunt hæmophtyſeos medicamina danda, ſimúlque
Juſcula dicta priús, magnóque dicata dolori,
Atque rheô ſimul acre ſerum vacuare juvabit:
Conferet externè ſtercus cataplasma ſuillum.
Dum prolapſa locô perigrina ſede morantur
Inteſtina, malum eſt Medicis *Hernia* vocatum.
Alvus in hoc primò reddatur lubrica morbo,

Re-

Reſtituenda dein propriæ ſunt viſcera ſedi.
Poſt hæc ſuppeditant proprium naſturtia ſemen,
Hoc infunde mero dein à patiente bibendo.
Semen idem ſubigas ovorum albumine tritum,
Inducas corio, morbique imponito ſedi.
Umbilicus quando teneris infantibus extrà
Labitur, imprimis antiqua ſede locetur,
Deſuper affectæ ceruſſam inſpergito tritam
Sedi, deîn validè per vincula comprime ventrem,
Aut intinge rubro ferrato lintea vino,
(In quo granati fuerit cum cortice cocta
Radix acaciæ) calidèque expreſſa repone
Umbilicô; hoc iterum repete, & bene comprime morbum.

Si quoddam *obſtruitur* latitans abdomine *viſcus*,
Durities, gravitas, dyſpnoea, & tenſio datur,
Sed diſtincta locô, quo viſcus quodque locatur:
Primitus ut cures, viſcoſos digere ſuccos,
Cancrorum lapides cape, tartareúmque cremorem,
Semen fœniculi, quæ trita in pulvere ſumas,
Lixivóſque ſales, ſi cûi libet addere fas eſt.
Dum ſtomachus turget mucô, vomitoria dentur,
Ex foliis ſennæ quoque laxativa per alvum,
Atque polypodio cum paſſula, itémque cremore
Tartareo proſunt, calidè ſi infuſa propines.
Porrò ſerum lactis, vel juſcula cichoreata,
Succus betullæ per plurima tempora confert.
Non minûs aſparagus proprio cum jure receptus,
Antimelancholicum vinum juvat antè relatum,
Intercallatis, junctíſque moventibus alvum.
Balnea dulcis aquæ coctæ cum mollibus herbis

Althæa malva proſunt, ſimilisque farinæ.
Porrò rheum verum miſce cum polline martis
Semen ſæniculi duplo ſub pondere junge,
Hinc fiet pulvis, qui flaccida viſcera firmet.
Hoc & aquæ faciunt minerales marte tumentes,
At ſuper hæc patulo peragendus in aëre motus:
Utilitate ſuâ reliquos equitatio vincit.

Quando inſtar lapidis dura eſt obſtructio, *Scirrhus*
Dicitur, & medica vix eſt ſanabilis arte.
Albumen faciunt ovi ſpumeſcere quidam,
Fontanæ miſcent: hinc manè & ſerò quadruncem
Ægro præcipiunt ſubjuncto ſumere motu.

Imi dum *ventris* tenet *inflammatio* viſcus,
Plùs minùs intenſus dolor, & tumefactio, & æſtus,
(Sed diſtincta ſitu) febris, ſitis, arida lingua,
Et diſponœa, velut generalia ſigna notantur.

Dum jecur affectum eſt, *Hepatitis* dicitur, atque
Hoc ſpeciale tenet: fit tuſſis ſicca, dolores
In latus alterutrum creſcunt recubando, ſupinus
Decubitus facilis, facies flaveſcit, adéſtque
Singultus, vomitus bilis, vel fluxio ventris.

Dum ſplen afficitur, *Splenitis* habetur, & iſti
In latere affecto pulſatio juncta notatur.

Si ren: *Nephritis*, quæ fert ſpeciale, quod æger
Non facilè incedat, quin ſe vix erigat, ardens
Mictus, itémque frequens: urináque flammea, pauca,
Et bilis vomitus adſint, cruriſque ſtupores.

Quando meſenterium patitur, ſpecialiter adſunt
Febris lenta magis, quæ paſſim veſpere creſcit,
Attamen interdum conjungitur hæmitritæus,
Subjacet umbilico gravitas; nunc fluxio chyli,

Ari-

Aridior nunc alvus adeſt, colicique dolores.
Quando urinalis patitur veſica notantur
Tenſio, durities, dolor ingens pubis, & ardor,
Mictus difficilis, ſtricta alvus, ſive teneſmus,
Sæpiùs inſomnes reddunt inſomnia noctes.
Quando luit matrix, fœtentem plorat ichorem,
Sinciput, & mammas affecta dolore queruntur.
Si fiant mites remanente tumore dolores
Lenteſcat febris, aſt horror quandoque recurrat,
Vergit in abſceſſum phlegmone; abſceſſus in ulcus
Tranſit rupturâ, qua pus aliquando per alvum
Exit, & urinam, quandoque in corpore reſtat,
Et ſucceſſivâ conſumit corpora tabe.
Ulcus, & *abſceſſus* quocunque in viſcere nata,
Quæ phtiſi ſervire tuli, medicamina poſcunt.
Si cui perduntur carnes, cutis oſſibus hæret,
Non tamen in promptu cauſa eſt, *atrophia* vocatur,
Quando meſenterii chylô repleta tenaci,
Vaſa creant morbum, medicamina cuncta probantur,
Quotquot viſceribus reſerandis congrua dixi.
Hoc quia commune eſt teneris infantibus, horum
Pultibus admiſce contritum ſemen aniſi.
Sume rheum verum binæ ſub pondere drachmæ,
Cûi de ferventi menſuram affundito lympha,
Paſſula pro libitu jungatur, & hauriat infans.
Acribus ex ſuccis tabes anthectica poſcit.
Dum membris fiunt *atrophiæ particulares*,
Urinâ pueri ſumptam bovis oſſe medullam
Decoque, donec abit liquidum, deîn ungito membrum,

Sunt quoque *crinones* atrophiæ cauſa tenellis,
Vermes ſic dicti, pellis quia crinibus hærent,
Morſus pruritus, vigili cum nocte dolores,
Tædia ſumendi victum, ſimul anxietates
Efficiunt, & ab his opus eſt, atrophia ſequatur.
Aſtità tollantur: ſubigas cum melle farinam,
Ac ſuperunge cutim, poſt hæc abradito crines,
Inſimul & maſſam: vel mundâ decoque lymphâ
Mercurium vivum, per quam poſt balnea corpus
Ablue, & internè ſimul anthelmintica præbe.
Dum fit inæqualis variis nutritio membris,
Ut pars una nimis nutriatur, & altera parcè,
Iſtáque decreſcat, nimiùm dum proficit illa,
Ac nodi manuum cingant extrema, pedúmque,
Dicitur hoc teneris vitium commune *Rhachitis*.
Hìc ſennæ foliis, tamarindis ſolvito ventrem,
Atque rheô verô ſeptem repetendo diebus,
Detur & in crebros decoctum filicis hauſtus.
Hanc quoque radicem tuſam miſcere licebit
Unguento, quod fert urinæ incocta medulla.
Integra quando cutis, nec demptô luminis albô,
Apparet citrina flavedine tincta, vocatur
Icterus: hic quando viſcoſa bile creatur,
Et ſtomachus mucô gravis eſt, vomitoria proſunt,
Poſtea radicem chelidonîi, juniperíque
Grana, rheum verum, ſennámque infundito vino.
Infusúmque bibas, methodo quoque ſervit eâdem
Radix cichorei, rubiæ, dentisque leonis.
Curcuma: marrubium, fragaria tota, geniſta
Argentina, crocus, ſimilis quoque plura farinæ,
Aut chelidoniacus ſuccus cum jure receptus
Cichorei: vel tartareum tibi ſume cremorem,
Semen

Semen aquilegiæ contritum junge, crocúmque,
Dosim quotidie vinoso ex jure capesse,
Et pro fine potes limatum jungere ferrum
Vino præscripto, sed tunc laxantia deme.
Icterus à tenui dum prodit bile, vel ira,
Juscula cichorei cum nitro, sive cremore
Tartareo sorbe, vel succo mixta limonum.
Hìc quoque famosum decoctum servit avenæ,
In quod acetosæ radicem, cichoreique
Santala rubra, nitrum capiunt, & semen avenæ.
Quando color pellis pallescit, sive virescit,
Crede *cachexiam*; *chlorosis* dicitur illa,
Quæ fit virginibus, pulsu comitante febrili,
Mensibus obstructis, & formis mille malorum.
Digestiva malum, nec non stomachalia tollunt,
Quæque priùs retuli reserare occlusa pororum
Ex salibus fixis lixivis, sive cremore
Tartareo, quæ cum stomachali pulvere junge.
(Tartareas pilulas his interponere confert)
Præcipuè quodvis servit medicamen amarum,
Quo titulo absynthî multis conserva celebris,
Centaurîi flores, absynthia, rósque marinus,
Salvia sumantur, zedoaria juncta galangæ:
Sacculus hinc fiat vinô infundendus, & undâ,
Senna, rheum verum laxandi fine jugetur.
Indè bibat crebrò patiens mediocre vitrellum,
Hûic pro fine mero demptis purgantibus adde
Limatum chalybem, vel eundem pollinis instar
Tritum Birkmanni stomachali pulvere misce.
Dum gradus est major, pellisque tumore levatur,
Leucophlegmatia malum, aut *anasarca* vocatur:
Hanc

Hanc ſacra hydropi, ſimul atq; cachectica tollunt
Pharmaca, præprimis decocta huic ligna medentur
Cum Roob juniperi, cutis expectando madores.
Dicitur *Aſcites* Medicis abdominis hydrops,
Pro quo ſi quid adhuc ſperatur ab arte medelæ,
Roob ebuli, ſpinæ cervinæ, juniperique,
Nec non ſambuci parili ſub pondere miſce;
Hinc unum cochlear cape, radiciſque jalappæ,
Et ſalis abſinthii mediam ſuperaddito drachmam,
Et cape pro doſi multis repetendo diebus,
Sic aſari radix vinô decocta juvabit,
Nec minus urinâ conducet clyſma paratum.
Affusô veteri vinô lixivia præſtant
Ligni juniperi cineres, quæ pota movebunt
Lotia, vel factum cum granis juniperinis
Vinum abſynthiacum, vel Roob quoque juniperinum
Confuſum tenui, quod protulit Auſtria, vino.
Porrò bovis ſtercus, cumini ſemina, ſulphur
Urinâ ſubigas, ventrique impone tumenti,
Ac ſupponatur major chelidonia plantis,
Eductis lymphis, trito zedoaria ferro
Jungenda, & multis cum motu danda diebus.
Eſt & hydrops uteri mediis tollendus iisdem.
Flatu quando tumens imitatur tympana venter,
Eſt *Tympanitis*, dictâque aſcitide pejor,
Hic igitur dictis mediis pellentia flatus
Adde ut fœniculi, cumini ſemen, aniſi,
Carvi, juniperum, mentham, cum cortice citri,
Aut aurêi mali. Jungatur denique dulcis
Spiritus ex nitro, De ſemine fiat anethi,

Atque

Atque chamæmelo clyſter, qui flamina pellat.
Dum cutis aridior, venter quoque tenſior extat,
Decocta altheæ, verbaſci pota juvabunt
Cum ſale tartareo, & ſimilis cataplasma tenoris.
Queîs *Hypochondriacum* titulis deſcribere *morbum*
Congruat, ignoro, potiùs mihi quærere fas ſit,
Quid non ſit? modò quippe famem ſimulare caninam,
Nunc anorexias video, modò ructat acetum,
Jam modò nidorem, nunc flatus, tormina ventris;
Nunc vomitus profert acidos, ſtomachíque dolores,
Strictior alvus adeſt, jejuno tempore ſputum,
Poſt paſtum anxietas, faciésque calore rubeſcens,
Vel dyſpnœa premit: ſiccum premit aſthma, phlogoſes
Sæpè vagæ fiunt, jam tenſa hypochondria pulſant,
Pallida nunc urina fluit, nunc craſſa, rubénsque,
Jam cephalalgiæ, vertigo, aphonia ſequuntur,
Nunc apoplexias, aliàs epileptica ludit
Dramata, jam vigilare facit, jam ſomnia ſomnum
Terrificis turbant formis, nunc incubus angit.
Nunc quoque delirant juncto abs ratione timore,
Nunc hæmorrhoidum diverſa pathemata fiunt,
Jam ſimulat ſcirrhos, colicas, lapidésq; febrésque,
Sæpiùs & mortem gelido ſudore minatur.
Hìc quamvìs variam variata pathemata curam
Expoſcant, de more tamen medicamina dantur,
Quæ ſtomachum firmant, reſerant, & flamina ventris
Pellunt, quæ propriis pagellis quære notata,
Spiritus hinc nitri dulcis ſuper omnia ſervit

Ex

Ex destillata menthæ unda, sive canellæ,
Balsamicæ pilulæ succosis corpore prosunt,
At siccis in aqua detur magnesia nitri.
Sic mineralis aquæ potus, quæ marte redundat
Contra hypochondriam solet anchora sacra vocari.
Altior hâc gradus est *Scorbutus* nomine morbus,
Dum mala nempe magìs massam subiêre cruoris,
Hinc corpus maculis liventibus omne notatur,
Tibia præsertim, vagus & dolor occupat artus,
Affrictúque levi fundit gingiva cruorem.
Scorbutum diversa levant medicamina: prosunt
Quippe sedum minimum, nasturtia quæque, fibrinum
Trifolium, raphanúsque niger, raphanúsque marinus,
Centauriúmque minus, fumaria, semen erucæ
Nasturtîi, sinapi, cochlearia, & indè profecta,
Et chærefolium, piperitis, & enula radix.
Aron, juniperus, pinúsque; absynthia quævis:
Hæc igitur vino, lactive infunde, seróve.
(Laxativa simul de senna, vel tamarindis,
Ad finem chalybem missis purgantibus adde)
Vel si sint virides plantæ, fac exprime succum,
Vel bona jura pares, vel eas theiformiter hauri,
Pharmaca dicta tamen cùm fervidiora notentur,
Sæpe nocent ægris varias causando phlogoses.
Hinc vel substitui, vel jungi talia possunt,
Quæ de temperie scorbutica frigida dici,
Ut beccabunga, ac endivia jure merentur.
Cichoreum lactuca omnis, borraginis, atque
Buglossæ flores, tamarindus, & indè parata.
Huc

Huc & acetoſa, huc & acetoſella refertur,
Succi quos citrus, granata, aurantia fundunt.
Sic bene confundunt citrus, & naſturtia ſuccos
Quotidie totum per menſem manè bibendos.
Sic valet & ſuccus, quem fundit betula Vere.
Lacte mero quidam ſcorbutum tollere tentant,
Quidam decoctis lignorum cum acribus herbis.
Abſorbent acidum, firmántque corallia partes,
Hinc ea ſcorbuto duplici ratione medentur.
Calculus in renum quando cavitate lateſcit,
Fit dolor in lumbis, vomitus perſæpè notantur.
Urina aut pallet, vel tincta cruore rubeſcit,
Aut mucô, ſabulô turget, quin ſæpè lapillis.
Stante paroxysmo molles reddentia fibras
Balnea, clyſteres, nec non unguenta juvabunt.
Hinc valet ex oleo clyſter, vel lacte paratus,
Unguentum altheæ cum oleo, cûi ſcorpio nomen
Addidit, & vires, lumbis conducit inunctum.
Mollibus & poterit repleri ſacculus herbis,
Et cum lacte coqui, lumbóque dolente reponi.
Internè confert oleum, quod amygdala fundit,
Si cum jure datur: vel paſſula, pruna coquantur
Cum ſenna leviter, mundam diſſolvito mannam,
Et bibat ægrotus. Tandem ceſſante dolore
Pharmaca conducent lapidem frangentia; verùm
Cautè, nè diros revoces fortaſſe dolores.
Alvo laxata (pro qua bene caſſia ſervit)
Laudant fæniculi ſemen, cum ſtercore muris,
Vel ſemen milii ſolis cum ſemine dauci.
Cancrorum lapides, limacis opercula, nec non
Ovorum teſtas alii pro pulvere ſuadent.
Allia, vel raphanos jejuno ventre comeſtos:
Urinas

Urinas hirci ſuadent potare calentes.
Hedera terreſtris ſervit theiformiter hauſta,
Granáque juniperi : pariter veronica prodeſt,
Non minùs infuſi vino laudantur aſelli,
Aut alkekengi baccæ cum juniperinis;
Ligni juniperi quidam lixivia potant,
Vel roob confuſum cum vino juniperinum.
Præſervare ſerum poteris de lacte bibendo,
Vel ſuccum verno quem tempore betula fundit.
Manè etiam proſunt piperis tria grana recepta,
Roóbque cynorrhodon ſumptum, ſuccúsque limonum:
Decocti ciceres, nec non ſylveſtria pruna,
Nec minùs optatum præſtat terebinthina fructum.
Regulus ex avibus pro forma pulveris uſtus,
Aut aſſus prodeſt; oleum quod amygdala fudit
Cum ſucco citri multùm ſervire refertur.
Quòd ſi fortè cavo *veſicæ calculus* inſit,
Non diverſa levant illum medicamina, verùm
Injicienda ſimul ſunt humidiora Syringis.
Juncta ſero lactis *mictum* tibi manna *cruentum*
Auferet, atque rheum, cui ſit therebinthina juncta,
Nec cum lacte minùs bolus armena ſervit ovillô,
Quò millefolium, nec non agrimonia confert.
Hyperici flores, calidè ſi cocta bibantur,
Vel quoque veſicæ, quando hæc dolet, injiciantur.
Dum parit immodico *diabetem* flumine mictus,
Hectica conducunt media ùt lac chalybeatum:
Pulveris in forma cancri, aut erynaceus uſti.
Dum licèt *invitis urinæ* turpiter ægris
Nocte diéve *fluunt*, alvi purgatio prodeſt

Facta rheô, foliis sennæ, vel myrobolanis,
Nec sudare minùs juvat, aut fumare tabacam,
Vulvam pro pastu, vel pulvere sume suillam.
Pulveris in forma confert erynaceus ustus,
Atque galanga simul sumpta, aut agrimonia, mastix.
Potus sit modicus, pro quo decocta valebit
Mastix, aut vinum rubrum, aut aqua chalybeata.
Si *nullô*, aut *parcô* promanant lotia *fluxu*,
Atque hoc præ muco: de stercore succus equino,
De raphano, citro prodest, ac allia sumpta,
Succus pastinacæ luteæ, roob juniperinum
Confusum vino, lixivia juniperina,
Cancrorum lapides, carabe, cum spermate ceti.
Dum venit ex acri: lac, cocta althæa medetur.
Dum vesica luit, præter prædicta catheter
Pharmaca succurret, simul & cataplasma paratum
Contusô raphanô; nec non de stercore vaccæ
Cum cepis assis, oleum cûi scorpius addat,
Hoc in pube potest, nec non in rene locari.
Quando urina fluit guttatim, cúmque dolore,
Stranguria malum nominatur, & hisce levatur:
Semen fœniculi cum cancri sume lapillis,
Sive chamæmeli flores cum lacte bovino
Decoque, quod calidè tandem capiatur ab ægro,
Vel succus cancrûm cum lympha petroselini.
Si tibi *deficiat vis pro generando virilis*,
Insimul & semen, multùm nutrientia prosunt:
Ova, nuces, pineæ, vel amygdala dulcis, oryza,
Jus consummatum, carnes, de lacte parata.
Ast ubi materiâ stimulus præsente negatur,
Acrius imprimis conducit aroma: canella

Zingiber, atque piper, paradysi grana, cubebæ,
Sal, semen sinapi, pariter stimulantia quævis.
Qui bene procedit, nutrientibus acria jungit:
Hinc duplici titulo laudantur salsa marina,
Ostrea, limaces, conchæ, stincique marini.
Materiem, stimulúmque simul quòd ferre notentur.
Quando *Gonorrhœam* producit seminis æstus,
Lac bibe femineum frigens cum cannabe factum,
Cûi cancri lapides, ebur ustum junge, nitrúmque.
Si venit ex vitio stomachi, stomachalia sume,
Qualia de mentha, cunctísque parantur amaris.
Si Venus in causa est, purgantia mercuriata
Sæpè iterata juvant; super hæc notissima cuîque
Balsama: decoctum lignorum largiter haustum.
Plura tacere placet, quippe hic plerique medelam
Arcanam jactant, verùm tam sæpè nocivam,
Ut priùs arcanos solùm medicamine tectos
Arcanô morbos, nec de radice fugatos
Tandem cogantur maculoso prodere vultu.
Hinc Medici prudentis opem citò, suadeo,
quærant!
Mensibus obstructis, parcóve fluentibus amne
Conducunt tenues potus theiformiter hausti,
Quales marrubium confert, sclaræa, melissa,
Quæque cachexiæ, & referandis pharmaca suasi
Visceribus, nec plura decet medicamina scire;
At quia cum methodo prudente, occasio, tempus
Observanda manent, Medici sapientis adire
Suadeo consilium, cujus documenta sequaris.
Mens mœrore vacet, patula movearis in aura.
Quando *doloroso promanant menstrua fluxu*,
Nec nisi guttatim, chamomillæ juscula sorbe,
Queîs

Queîs incocta simul fuerint crocus, atque canella,
Altheæ pariter species in jura coquantur.
Vel cape cancrorum lapides, & semen anisi.
Sacculus externè chamomillæ, & balnea prosunt.
Hic *fluor immodicus* medicinas poscit easdem,
Quas hæmoptoicis suprà conducere dixi.
Dum *fluor albus* adest sive acris, sive benignus,
Sacra gonorrhæis variis medicamina poscit.
Roborat in specie galeopsis, mentha, melissa,
Et viscus quernus, sclaræáque, rósque marinus,
Hinc fiunt infusa merô quandoque bibenda.
Extùs inungatur sclaræa infrixa butyro.
Dum cruciat variis *hysterica passio* formis,
Ægra paroxysmo revocanda est castoreatis,
Cornibus accensis, plumis; quo fumus equinæ
Verrucæ, simul ac tibi fœtida conferet asa.
Frictio, lux, clamor, motúsque, evulsio crinûm.
Quando paroxysmus tandem sua drammata finit,
Tunc hypochondriacis epileptica pharmaca junge.
Fœtida præcipue, leviter laxantia ventrem
His intercalla, simul & pellentia flatus.
Percontare tamen, quid perferat ista, vel illa?
Nè medicamentum des intolerabile cûiquam.
Pro fine absynthîi conservæ jungito martem,
De qua quotidie motu comitante capessat.
Morbum prævertit laxatio crebrior alvi,
Vel mineralis aquæ potus, vel sectio venæ,
Et simul in cunctis strenuè servata diæta.
Prolapsus uteri mediis curantur iisdem,
Ac lapsus ani, thermæ persæpe medentur.
Quando *thorum sterilem* mulier sine prole relinquit

Flaccidiore utero, carolinas conſulo thermas,
Balnea pauperibus de fœni flore parata.
Dum venit impuris ſuccis matrice referta,
Condignis mediis matrix purgetur, & alvus.
Reddere fœcundas porrum perſæpè puellas
Dicitur; aſt utinam, ſe non aliquando priusquam
Jura, pudórque ſinant, fœcundas eſſe probarent!
Dum mulier prægnans fœtûs formidat *abortum*,
Cum nuce moſchata rubicunda corallia proſunt,
Ac panem toſtum vino ſubmergito rubro,
Et nuce moſchata conſperſum imponito ventri.
Si cruor exundet, præſervat ſectio venæ.
Ad *partum facilem* juvat impigra motio matris
Præcedens partum, vel balnea, ſectio venæ.
Non tibi *defunctum* trado pellentia *fœtum*,
Sive ſecundinas, vel lochia clauſa, molásve,
Res etenim magni ſemper ſolet eſſe perîcli;
Hinc opus hoc Medico potiùs committe fideli.
Si tamen à partu vis adjutare fluores,
Cancrorum lapides, vel jura puerpera ſumat
Facta ex althæa, cûi ſit conjuncta meliſſa.
Sic chærefolii, chamomillæ juſcula proſunt.
Quando *fluunt nimiùm*, rubicunda corallia, & alba,
Terra ſigillata, aut bolus armena detur ad intra,
Aut hæmatites manibus teneatur ab ægra.
Tormina poſt partum leviant de lacte calente
Clyſmata, vel coctâ chamomillâ, oleóque parata,
Intùs decoctum chamomillæ conferet hauſtum,
E quo ſumendum eſt Elixir proprietatis.
Vel chærefolii condita & mace, crocóque
Juſcula; queîs addi poterit de ſpermate ceti,
Sac-

Sacculus externè chamomillæ flore repletus,
Et baccis lauri, calamintha, ſemine anethi,
Exprimitur coctus vinô, ac in ventre locatur.
Fœda *lues Veneris*, quæ *morbus Gallicus* audit,
Per diaphoreticum ſtibium uno menſe receptum,
A ſcrupulo ad drachmam ſenſim aſcendendo levatur,
Decoctóque ſimul lignorum largiùs hauſtô,
Deſuper in lecto cutis expectando madorem.
(Interponantur laxantia mercuriata)
Si pretioſa tibi fortaſſis ligna negantur,
Ligni juniperi bene ſumitur uncia bina,
Pondus idem pini, quibus additur uncia lappæ,
Et pimpinellæ radicis, & uncia ſemis
Fæniculi, ac ſolito decoctum more paratur.
Si minús hæcce juvent, juſto moderamine dandus
Mercurius ſupereſt moturus ab ore ſalivam.
Bubonem Veneris noto cataplasmate molli,
Maturatum aperi, per mel mundetur apertus,
Emplaſtrô tandem miniatô conſolidetur.
Dicitur *arthritis* vehemens dolor articulorum,
Cûi variata ferunt diverſæ nomina partes:
In pedibus *podagra*, in manibus *chiragra* vocatur.
Gonagra ſtat genibus, tangítque *rachiſagra* ſpinam,
Et coxam *dolor iſchiades*, & *odontagra* dentes.
Cætera prætereo, quia res, non nomina quæro.
Ante paroxysmos laxando aloëtica proſunt:
Succineæ pilulæ, & Beccheri nomen habentes,
Mercurius dulcis ſpeciali laude probatur,
Lignorúmque leves moveant decocta madores
Cum roob ſambuci, decoctáque bardana, filix.
Vel cape lumbricos terreſtres, cinnabarimque,

Et ſtibium diaphoreticum, cancríque lapillos
Pulveris in forma; juvat & decocta chamædris.
Sapo dat externum cataplasma, & camphora, vini
Spiritus, in formam pultis miſcendo redacta,
Spiritus & vini, cûi camphora mixta, juvabit.
Sed cave, nè mediis externis fortè repellas
Morbi materiem, secùs interiora prehendet,
Et majore minor pelletur dæmone dæmon.
Dum dolor in curſu eſt, vix eſt medicina dolori,
Proderit infuſum quoddam theiformiter hauſtum,
Det cui materiem betonica juncta chamædri.
Atque hoc continua, blandóque calore foveto
Artus affectos, donec dolor omnis abinde,
Materiésque mali difflata madore recedat.
Pòſt enervatos artus firmare memento:
Balnea quod multo præſtant paralytica fructu,
Sub titulo deſcripta ſuo; nutriénsque diæta
Non ſuperans ſtomachum, patulóque ſub aëre motus.
At *dolor iſchiades* venam ſuper iſta ſecari,
Catharſim validam, vel clysmata fortia poſcit.
Fonticulúsque pedi multum deſervit inuſtus,
Sylveſtrísque cati pellis, vel plenus arenâ
Sacculus in coxam non abs ratione locatur.
Si dolor haud artus, ſed, quæ diſterminat artus,
Obſideat carnem, comitante tumore, rubore,
Infeſtet calor, atque ſitis præeunte rigore,
Rheumaticus dolor eſt, quem curat ſectio venæ,
Adjuvat adjunctô pulvis datus ante podagræ
Nitrô, & decoctum, cûi bardana juncta, febrile
Largiter epotum: dictus quoque ſpiritus extùs.
Membrum luxatum mox, ſi potes, ipſe repone,
Un-

Ungito ſpiritibus vini, validéque ligato,
Linque ligaturam per tempus; at ipſe juvare
Impos Chirurgi propero pede quære juvamen.
Ut noſcas *lupiam*, tumor eſt fungoſus in artu,
Sacculus appoſitus de baccis juniperinis
Incoctus vino lupiam diſſolvere fertur.
Oſſis fracturam Chirurgi dextera curet.
Dum dolet à ſubito *tenſus* conamine *tendo*,
Et perit in membro fortaſſe potentia motûs,
Ungito ſpiritibus vini, queîs camphora mixta eſt.
Spinam ventoſam cariem nominamus in oſſe,
Triſte malum nomina, quia vix curatur adultum.
Arteriâ læsâ quibus *Aneurisma* creatur,
Apponas nummum, venámque in parte ſecato
Oppoſita; poſt hæc Chirurgum quære peritum.
Varicibus ſervit tenuante bryonia ſuccô,
Deſuper at juſtè pars varice læſa ligetur.
Humida dum *ſcabies* digitóſque, manúſque decorat,
Proderit hûic junctâ laxans fumaria ſennâ,
Vel quoque Mercurius dulcis, vel ſumpta jalappa,
Pòſt oculos cancri citrino cum ſulphure ſume,
Ac quoque cum lignis fumaria cocta bibatur.
Extùs & unguentum ſervit de ſulphure factum,
Et baccis lauri, ac veteri pinguedine porci.
His *Elephantiaſis*, nec non *lepra* fortè levatur,
Nam gradus utrumvis ſcabiei major habetur.
In *ſcabie ſicca* laxantia dę tamarindis
Mixta ſero lactis dentur, ſimiliſque farinæ.
Cancrorum lapides ex unda fontis, & extùs
Unguentum confert album, cûi camphora juncta eſt.

Vivæ calcis aquâ quoque pars affecta lavetur,
His quoque cum ſociis *Serpigo* levatur, & *Herpes.*
Sæpiùs infanti parit *Intertrigo* dolores,
Cûi cretam aſpergas, ceruſſam, ſive farinam
Exeſi carie ligni, vel denique amylum.
Externus *Phlegmon* interna nitrata repoſcit
Cum diaphoretico ſtibio, cancríque lapillis,
Infuſum florum ſambuci largiter hauſtum,
Camphorinus vini conducit ſpiritus extrà.
Dum ſuppuratur, cataplaſmata nota levabunt.
Sic & *Eryſipelas* prædicta interna fugabunt,
Sambuci cortex medius conducet ad extra,
Pulvis item cretæ finæ, cûi camphora mixta,
Et fumus myrrhæ. Verùm dum cedit in ulcus,
Vivæ calcis aquâ partem quandoque rigabis,
Qualiter & ſuccus, quem dant naſturtia, ſervit,
Ut te præſerves, geſtato corallia rubra.
Paronychiæ prædicta interna medentur;
Extùs at alſine tollet contuſa dolorem,
Sic quoque contuſi profunt lumbrici, & aſelli,
Spiritus & vini, quô camphora multa ſoluta eſt,
Aut de matre calens digitus mittatur in ovum,
Et velut in puncto dolor evaneſcet in auras.
Eſſe pedum vitium dicunt cui *Pernio* nomen,
Eſt à pernicie membri patientis idipſum,
Quam peperit frigus. Nive pars affecta fricetur,
Aut ea per tempus gelidam mittatur in undam,
Pôſt fotum chamomilla dabit cum lacte tepentem,
Spiritus hinc vini, cui camphora mixta, rigabit,
Aut aqua vitrioli partem præ frigore læſam.
Pultem raparum, vel de cornice cerebrum
Appo-

Appoſitum laudant. Vel manè, & nocte perungunt
Porci felle locum, ſuper hunc cataplaſma reponunt
De piſis crudis jejuno dente minutis,
Poſtea decoctis, ubi vis eſt magna ſalivæ.
Partibus ambuſtis albumen proderit ovi
Mixtum oleô lini, vel olivæ; aut ſtercora vaccæ
Cum dictis oleis. Halecum muria porrò,
Ac olerum prodeſt, & pro cataplasmate ſapo.
In graviore malo ceruſſæ unguenta juvabunt,
Camphora queîs juncta eſt. Chirurgi denique dextra
Conferet officium, mala nè majora ſequantur.
Sic quoq; Chirurgum poſcunt *Gangræna ſphacelus*,
Qui vel ſcarificet, reſecétve ſecanda peritè,
Applicet & tantò cataplasmata congrua morbo.
Vulnera qui tractas, manantem ſiſte cruorem,
Hìc hæmatites tritus, ſtercúsque ſuillum,
Sive lupi crepitus, figulique argilla valebit:
Deîn albo vino, vel aceto perlue vulnus,
Deſuper inſtilla ſuccum plantaginis herbæ,
Atque liga vulnus, brevibus ſic conſolidatur.
Tendine, vel *nervo* quodam ſub vulnere *læſo*,
Immittas oleum tibi quod terebinthina ſtillat;
Fruſtatis aliis opus eſt diſcindere nervum.
Quando à percuſſu quædam *contuſio* facta eſt,
Diſcutiet decocta mero chamomilla fovendo.
Vena ſecando citò, dum læſit *caſus ab alto*,
Cancrorum lapides ſuper hoc ſolvantur acetô,
Vel ſuccô citri, & lapſo capiantur ab ægro.
Ulcera mundificat mixto terebinthina melle.

Conſolidat pulvis ceruſſæ inſperſus iisdem.
Ulcera quæ manant intrò purgantia poſcunt,
Quæque movent habitûs, decocta ùt ligna, madores,
Inſimul hoc titulô ceruſſam inſpergere confert.
Dum *caro luxurians* creſcit, conducit alumen
Uſtum, ac inſperſum. Si tandem ſordeat ulcus,
Vivæ calcis aquâ madefactum mundificetur,
Undæ Mercurium poteris ſuperaddere dulcem.
Fiſtula ſi fiat parto ſub carne canali,
Injicienda probè eſt aqua tradita mercurialis,
Spiritus aut vini cum ſucco nicotianæ.
Cancris occultis ſudor, laxatio proſunt,
Externè, quocunque libet, fumare licebit,
Aſt emplaſtra cave, nam plùs nocitura videbis.
Cancer ubi motu fœdum deſcivit in ulcus,
Præter dicta priùs, quæ mundant corpus ab intus,
Cancros combuſtos inſpergere fortè juvabit.
Sed pro poſſe para cautè medicamina; quippe
Curando fieri quædam pejora videmus
Ulcera, quæ meliùs nunquam tetigiſſe fuiſſet.
Sic rapit interdum, modò dat medicina ſalutem!
Vivæ calcis aquâ madefactum *œdema* levatur.
Sed *tumor à flatu*, chamomillæ pulvere, baccæ
Lauri curetur, calidè perſæpè fovendo.
Dantur & in propria concluſi pelle tumores,
Quales *meliceris*, *ſteatoma*, *atheroma* vocantur,
Ut mel, vel ſevum, vel pultes clauditur ipſis,
Hos bona Chirurgi tollet ſciſſura tumores,
Pharmaca cùm rari ſint diſſolventia fructûs.
Sanguineus cum pure tumor *Furunculus* audit,
Et capit unguentum mixtâ cum melle farinâ.

Ganglia

Ganglia curando lamellâ comprime plumbi,
Vel quoque de ranis emplaſtrum mercuriatum,
Sive ſigillares virides imponito ceras.
Tolle *ani ficus* ferrô, tuſâve ſabinâ.
Clavos, *verrucas* oleô de ſulphure tangas,
Vel quô preſſa madet major chelidonia ſuccô.
Porrò ſalivalem dicunt prodeſſe liquorem,
Quem ſale conſperſus limax plorare notatur.
Allia tuſa etiam promptum cataplasma miniſtrant.
Oblita cera virens auris cærumine confert:
Fruſtratis aliis ferrô tractentur, & igne.
Sed nè ſubſtratus lædatur tendo, cavendum,
Queîs etenim prodeſſe nequis, nolito nocere!
Hæc tibi pro morbis animo plerisque fideli
Pharmaca propoſui, vultu lege lector amico;
Tempus enim fortaſſe dabit modò lecta placere,
Atque vel in proprios, vel amici vertere fructus.
Non mirare tamen, ſi non ſperatus ubique
Ceſſerit eventus. Nam ſæpè ſuperna poteſtas
Denegat abſtruſis concurſum ex finibus; atqui
Nî Deus adſuerit, virésque infuderit herbis,
Quis, rogo, te Medicus, quæ te medicina juvabit?
Sæpè ſuas morbus ſupra medicamina vires,
Culpâ ſive moræ, ſeû non moderabilis ægri
Extulit, ac ideò ſerò medicina paratur,
Nec finire licet tantos niſi morte dolores.
Denique quod medicas valet inter cætera vires
Frangere, jus dirum eſt, & inevitabile mortis.
Hæc ſua purpureos trahit in veſtigia Reges,
Depoſitô luxu turbâ cum paupere mixtos.
Et licèt ipſe ferat ſacras Epidaurius herbas.

Contra

Contra vim mortis non est medicamen in hortis,
Omnibus ergo mori quisquis ſemel eſſe ſtatutum
Credis, & in proprio ſentis præludia mortis
Corpore, nec ſervare potes defuncta vigore
Membra, animum ſerva, nè fors ſimul ipſe fatiſcat;
Quóque magìs ſpectat terram curvata ſenectus,
Rectior hôc animus ſubeundum ſpectet olympum.
Ortum quódque ſuum repetat, patriámque requirat,
In terram redeat, quídquid priùs eſſe recepit
De terra; verùm quod venit ab ætheris oris,
In cœli rurſum fulgentia templa revertat!
Iſtud ut eveniat domui diſpone modernæ
Cautus, & extremum vitæ virtute corona:
Omnia ſunt bona, ſi claudat bonus omnia

F I N I S.

Errata.

